



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1721**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-5866**

# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

## THEOLOGICA.

*Classis Quintae*

### FASCICULUS TERTIUS.



BREMÆ,

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

---

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CC XXI.

V I R O

*longe nobilissimo, atque ex-  
cellentissimo*

**J A C O B O**

**F A C C I O L A T O,**

**in Seminario illustri Pata-**  
*vino studiorum Praefecto,*

*ac Vindici;*

**Viro** literis, comitate, candore, at-  
que omni virtute excul-  
tissimo,

**pristinumque Italiae, quo illa saeculo**  
decimo sexto praecipue superbiebat, de-  
cus hac tempestate cum pau-  
cissimis

*sustinenti,*

*Septimum hunc supra vicesimum*

HUJUS

**BIBLIOTHECAE**

**FASCICVLVM,**

**Celeberrimo ejus nomine  
praecipue illustratum,**

**pietatis in eum meae, atque insignis  
cultus tesseram inscribo,**

**ATQVE ILLVM, VT HOC IN-  
STITVTVM,**

**promovendis sacris linguis, literisque,  
quas tam egregie ornat ac tuetur, unice dica-  
tum, sibi velit curae cordique esse,  
cum sincero**

***INTEMERATAE FELICITATIS VOTO***

**quaeso precorque**

**EDITOR.**

En hujus fasciculi summam.

- I. Jacobi FACCIOLATI de studiis linguarum cum S. scripturae studio conjungendis Oratio p. 391.
- II. Gerhardi OUTHOVII de voce כִּנְרִי ad Ps. XXII: 17. & Sabbatho ΔΕΥΤΕΡΟΠΡΩΤΩ ad Luc. VI: 1. Observationes p. 411.
- III. Petri ZORNII de Decreto Vigilum ad Dan. IV: 14. dissertatio p. 442.
- IV. Job. Georgii ALTMANNI de GALLICINIO a Petro in aedibus Pontificis audito Observ. p. 451.
- V. Jobannis D'OUTREINII ad nonnulla S. scripturae loca observationes p. 457.
- VI. Theodori HASAEI de LEVI a Christo ad Apostolatam vocato ad Marc. II: 14. sqq. & Luc. V: 2. sqq. schediasma, quo eum fuisse Judam Thaddaeum ostenditur p. 475.
- VII. Regis, S. P. Q. ANGLICANI sententia de concilio Mantuae habendo à Paulo III. Pontifice a. 1537. indicto p. 507.
- VIII. Excerpta ex literis C. A. Heumanni ad Th. Hasaeum. p. 530.
- IX. Petri DINANT Commentarius in epistola ad Ephesios, L. R. p. 533.
- X. Catalogus Librorum a Reformatis editorum continuatus, BELGICE. p. 540.
- XI. J. Laur. MOSHEMII ad literas C. A. Heumanni epistola responsoria p. 550.



I.

I. N. D. N. I. C.

C. A. HEUMANNI

DE

IGNORANTIA

DOCTA

Dissertatio.

Σύνοψις.

Commune est omnium hominum desiderium sciendi,  
§. 1. Sed id saepe enorme est & iusto maius, §. 2.  
Desiderii illius limites, §. 3. Distinctio ignorantiae  
in *turpem* & *honestam* sive *doctam*, §. 4. Descriptio  
ignorantiae turpis, §. 5. 6. Ignorantia docta est  
VEL *insuperabilis* sive *necessaria*, §. 7. eaque rursus  
(1) vel *sacra* vel *profana*, §. 8. Ad *sacram* igno-  
rantiam referenda est Disputatio de *origine mali*, §. 9.  
(2) vel *innocua* vel *fructuosa*, §. 10. VEL *superabi-*  
*lis*, quae & ipsa vel *innocua*, §. 11. vel *fructuosa*,  
§. 12. Ignorantia docta est pars prudentiae litera-  
riae, §. 13. *Fructuosa* ignorantia porro dividitur in  
*piam* sive *sanctam*, §. 14. & *impie piam*, §. 15. Pia  
ignorantia doctorum, quaedam, quae sciunt, nesci-  
entium, id est, non docentium, §. 16.

Class. V. Fasc. II.

N

§. 1.

**Q**uemadmodum qui versantur in tenebris, summa cupiditate ardent ad lucem emergendi; sic mens humana maximo afficitur desiderio cognoscendi in vnaquaque re veritatem. Testis est Aristoteles: Πάντες ἄνθρωποι, initio τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ inquiring, τῷ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Testis Cicero: 'Οὐδὲν, ad Atticum suum (a) scribens, γλυκύτερον, ἢ πᾶντοι εἰδέναι, & filium his alloquens (b) verbis: *Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiae cupiditatem.* Sed quid opus his testibus? Testis est sua cuique conscientia atque experientia.

§. 2. Solet autem aequae, ut cupiditates caeterae, sciendi desiderium hominibus inesse nimium & enorme, ac, recte obseruante (c) Tacito, *difficillimum est retinere ex sapientia (id est, ex discendi studio) modum.* *Humanae itaque sapientiae pars est, Scaligero (d) sapienter pronuntiante, quaedam aequo animo nescire velle. Plus enim scire velle, quam sit satis, intemperantiae genus est, ut recte Seneca (e) censet.*

§. 3. Respicienda hic est norma omnium actionum humanarum, adeoque & studiorum literariorum, bonum malumque, quorum illud sectandum, hoc fugiendum. *Quarum igitur*

(a) Lib. IV. epist. 10. (b) Offic. lib. I. cap. 6. (c) Agric. IV. 6. (d) Exercit. cccvii. sect. 29. (e) Epist. 88. p. 343.

igitur rerum ignorantia nobis noxia est, eam  
 ut exuamus, strenuam nauari oportet ope-  
 ram. Et hoc ipsum sensit *Socrates*, cum igno-  
 rantiam dixit malorum esse summum. Illa  
 vero ignorantia, quae utilis nobis est, tran-  
 quillo ferenda est animo, nec nisi stultus ex-  
 petet scientiam sibi noxiam. Sunt autem  
 quaedam, quae nescire, quam scire, melius est, ut  
 infra videbimus & iam olim vidit ille augu-  
 stissimi nominis doctor (f) *Augustinus*. De-  
 nique ignorantia nonnulla innoxia est, hoc  
 est, rerum quarundam scientia nihil affert uti-  
 litatis. Huius generis res ignorare non est  
 turpitudini, imo, quae philosopha *Plinii* (g)  
 sententia est, nihil discendum, quod nescisse re-  
 ctius fuerit.

§. 4. Probum itaque discrimen est, quo sa-  
 pientes ignorantiam dixerunt aliam esse tur-  
 pem, aliam honestam, quam argute vocant do-  
 ctam ignorantiam.

§. 5. Turpis est ignorantia, cum ignoran-  
 tur, quae & poteras scire & debebas. Sic de  
 DEI natura & voluntate ignorare, quae do-  
 cet naturalis ratio, ἀναπόλογητον ignorantiam  
 appellat (b) *Apostolus*. Pari modo turpissi-  
 mum erat, multos sacerdotes ante *Lutheri* ex-  
 ortum theologicae scientiae adeo esse exper-  
 tes, ut ne θεόπνευστον quidem codicem accura-  
 tius lectitarent.

N 2 §. 6.

(f) *Enchir. ad Laur. cap. 17.* (g) *Lib. III. epist. 30.*  
*enir.* (b) *Rom. I. 20.*

§. 6. Facile hinc apparet, quo maior est discendi occasio & facultas, eo turpiorem esse inscientiam. Proinde nostro aevo, quo & viuorum & mortuorum magistrorum, eorumque praecellentium, prouentus est vberimus, maiorem in modum turpe est, ea nescire, quae scire vtile vel etiam necessarium est. Quare excusandos non puto vel de plebe Christianos vtriusque sexus, qui Scripturam S. non habent assidua lectione cognitam, cum Biblia vernaculum traducta in sermonem vbique prostant. Nec ignoscendum videtur illis studiosis, qui olim inter Ictos vel Medicos nomina sua sunt professuri, quod, cum Graecas literas addiscendi optimam habeant in scholis occasionem, eam per desidium dimittant. Etsi enim Ictus vel Medicus esse potes literarum Graecarum expers, tamen ea lingua opus erat ad percipienda Apostolorum & Euangelistarum monumenta, quorum lectio non quidem doctum Ictum Medicumve, sed doctum Christianum facit. Pari modo etsi Graecae linguae Hebraicaeque notitia doctoribus ecclesiae siue sacerdotibus non est simpliciter necessaria; nostra tamen aetate imperitia istarum linguarum non iniuriâ turpitudini ducitur iis, quia merito peccasse ceuentur, qui commodam occasionem theologiae firmiter excolendae neglexerunt, adeoque upinae vel etiam affectatae ignorantiae rei sunt.

§. 7. Venimus ad ignorantiam *honestam* siue *doctam*, cuius potiora recensimus genera. Primum igitur ignorantia alia *superabilis* est, alia *insuperabilis* ac *necessaria*. Posterior a turpitudine est remotissima, adeoque nescire, quae non possis non nescire, doctae ignorantiae pars est haud postrema. Quare non meretur reprehensionem professor historiae civilis, qui non valet exponere genealogiam Melchisedeci, res gestas Nimrodi, vel veterum Pharaonum priscorumue Germanorum. Nec inscientiae crimen impingitur historiae ecclesiasticae doctori, qui historiam duodecim Apostolorum vsque ad ipsorum ex hac vita discessum enarrare nequit, aut, quibus factis Christus triginta priores vitae mortalis annos transegerit, nouit iuxta cum ignarissimis. Frustra quoque nonnulli sudant in explicandis inexplicabilibus hieroglyphicarum literarum nodis. Nam sapienter docti est, magno animo suam hic profiteri ignorantiam, ac *Kircherorum* difficiles ridere nugas. Recte monet philosophus ille, qui *Artem cogitandi* (i) composuit, esse ab iis inuestigandis abstinendum, quae supra nos sunt, & quorum comprehendendorum spes nulla rationabilis subest. Qui illico (ita pergit,) responderit, se nescire haec, is plus promouerit eo, qui aliquot annorum lustra in talibus consumens vel ignorandi necessitatem tandem depre-

N 3

depre-

(i) P. IV. cap. I. p. 308. sq.

deprehendit, vel, quod peius est, id consequitur, ut, quod nescit, scire se putet ac profiteatur.

§. 8. *Necessaria* ista, quam vocauimus, ignorantia non male diuidi videtur in *sacram* & *profanam*. Posterioris generis exempla petantur e superioribus. *Sacra* vero ignorantia (a) merito vocatur, cum τὸ πῶς nescimus in Christianae religionis mysteriis. Cedat hic, inquam cum (k) *Tertulliano*, *curiositas fidei*. Hic nihil scire omnia scire est. *Honorificum nobis est*, inquit (l) *Lutherus*, etiamsi quaedam sacramentorum literarum mysteria ignoremus. Scilicet nescire velle, quae nescire nos vult magister optimus, eadem demum erudita inscitia est.

§. 9. Ad *sacram* hanc ancoram, hoc est, ad ignorantiam sacram si nuper confugissent philosophi, qui acriter inter se disputarunt de origine mali, longo superfedissent certamine, ac dubitantibus satisfecissent, opinor, magis. Scilicet DEVM esse ens perfectissime bonum, in-

(a) De laudabili Theologorum ignorantia exstat *Disp. D. Christoph. Sontagii*, & ante eum *Voetii*. Imo iam olim de hoc argumento commentatus est *Nicolaus Cusanus*. Hos audeat, qui volet. Nam nobis haec scribentibus nullus horum triumuirorum fuit ad manus. Inspici quoque meretur, quam post confectam hanc nostram *Dissertationem* forte inspeximus, *Francisci Vauassoris* *Oratio* de vitanda curiositate, inter opera eius coniuncte edita p. 235. sqq. qua docet, esse maius periculum, ne nimium, quam ne parum sciamus.

(k) *Lib. de praescript. XIV. 6.* (l) *Comment. in Genes. cap. VII. p. 108.*

innumeris argumentis exploratissimum habemus. Iam mala esse in mundo cum physica, tum moralia, non minus certo scimus, quam bis duo esse quatuor. Huius rei causas DEVS habeat necesse est & sapientissimas & ipsius benignitati minime aduersantes. Nobis vero causas istas omnes peruestigare per intellectus nostri imbecillitatem non licet. Ergo scimus, mala a DEO permitti, causas huius rei NESCIMVS. Dicamus igitur cum (m) Saluiano: *Qua causa DEVS haec ita faciat, nolo a me requiras. Homo sum, non intelligo secreta DEI, inuestigare non audeo, & ideo etiam attentare formido: quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegae temeritatis est, si plus scire cupias, quam finaris.* Atque hic subsistat tota nostra de origine mali disputatio, vel potius concludatur apostolica illa (n) exclamatione: *ὦ βάθος πλάτους καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεῶν. ὡς ἀνεξερευνήτα τὰ κείμενα αὐτῶν καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτῶν.* Ac sane si consilia Comici perspicere non licet spectatoribus, saepe mirantibus, quò res euasura sit, cum tamen in exitu appareat, omnes Comici actiones fuisse artificiosissimas ingeniosissimasque; quanto minus consilia DEI (quem Epictetus (a) cum Comico haud inscite comparat, & mundum hunc cum theatro,) perscrutari poterimus nos homunciones, quorum

(m) Lib. III. de gub. Dei p. 59. 60. ad quem locum vide egregiam annotationem Rittersbusii. (n) Rom. XI. 33.

(a) Enchir. cap. 23.

natura immenso distat intervallo a natura illa  
 suprema! Imo nimis vulgaris artifex foret  
 DEVS, si homines omnes eius actiones earumque  
 scopos penetrare possent, cum humani artificis  
 rationes, e. g. eius, qui horologium confecit,  
 peruestigare arduum sit. Quare etiam hic valeat  
 illud: *μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι*, hoc est, qui  
 paupertatem intellectus sui agnoscunt, nec eò  
 audaciæ progrediuntur, ut sustineant censuræ  
 subicere suæ opera DEI. Cæterum quisquis  
 contendit, existentiam malorum nullo pacto  
 conciliari cum bonitate DEI, saluaque hac  
 fieri non posse, ut innumeri damnentur,  
 perpauca saluentur, is manifesto accusat  
 DEVM iniustitiæ & imprudentiæ, & quidem  
 iniustitiæ atque imprudentiæ nullo modo  
 excusandæ. Hoc vero qui facit, is haud  
 procul abest ab atheismo. Porro talis  
 homo DEVM condemnat incognita causa.  
 Si enim DEVS ipsi rationes exposuisset  
 omnium suarum actionum & omissionum,  
 tunc minus peccaret, si examinaret eas  
 sibi non probari diceret. At vero miser  
 homo rationes & scopos plurimarum  
 actionum DEI prorsus ignorat, nec  
 perspectas habet DEI vias. Ergo profecto  
 dum nihilominus audet horrendam ferre  
 contra DEVM sententiam, & eum damnare  
 iniustitiæ & imprudentiæ, plane insanit  
 & tanquam coecus iudicat de coloribus.  
 Illud postremo rogatos volo eos, qui tam  
 anxie dis-

putant de origine mali & eius cum bonitate DEI  
*ἀποστασία*, vt in se descendant seque examinent,  
 vtrum id faciant ex sincero veritatis ac pieta-  
 tis studio, an potius ex cupiditate excutiendi  
 metum æternæ damnationis, indiuiduum il-  
 lum irreligiøsæ vitæ comitem. Mihi quidem  
 persuasissimum est, plerosque omnes poste-  
 riori causa permotos id facere, istaque ratio-  
 ne conari viam ad æternam salutem facere  
 patentissimam, atque e contrario iter ad æter-  
 num interitum reddere perquam angustum.  
 Sed pergamus in argumento proposito.

§. 10. *Necessariam* istam doctorum ignoran-  
 tiam porro dispescimus in *innoxiam & fructuo-*  
*sam*. Ignorant phyfici, an sint in orbe lunæ  
 incolæ, idque nullo suo damno ignorant.  
 Ignorant philologi, quid fuerint Dudaim (o)  
 Rahelis, idque æque impune ignorant, ac  
 Virgilianus ille Corydon (p) nesciebat, vbi  
 coeli spatium tantum tres habeat vlnas. Igno-  
 rant mortales vniuersi futura sua cuiusque fa-  
 ta, atque ea ignorare ipsis expedit, nec optan-  
 dum cuiquam, ab hac vt ignorantia liberetur.  
 Recte enim *Fauorinus* philosophus (q) deter-  
 rere volens & depellere adolescentes a genethliacis  
 istis, & quibusdam aliis id genus, qui prodigiosis  
 artibus futura omnia dicturos pollicentur, nullo pa-  
 cto adeundos esse consulendosque, huiusmodi argu-  
 men-

N 5

(o) Vid. Clericus ad b. l. & Heideggerus Hist. Patriarch.  
 T. II. Exercit. XIX. tota. (p) Eccl. III. 105. (q)  
 Apud Gellium Noct. Attic. XIV. 1.

mentis concludebat. Aut aduersa (inquit,) euentura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera, & fallunt, miser fies frustra expectando. Si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin vera respondent, eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt, tum plane duo erunt incommoda. Et expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras praesagientibus.

§. II. Progredimur ad ignorantiam superabilem illam, quae docto homine digna est doctoque titulo meretur insigniri. Haec & ipsa in innoxiam & fructuosam diuidi debet. Frugalem quendam philosophum dixisse ferunt: Quam multis ego non egeo! Pari modo recte dixeris: Quam multarum rerum cognitione non egemus! Ac merito castigat (r) Gellius *doctrinophilus* cuiusdam, qui ipsum docere gestiebat, quibus nominibus appellati sint focii Vlyssis a Scylla rapti laceratique; quot fuerint Pythagorae, quot Hippocrates; & plura huius generis, quae speciem doctrinarum habere ait, sed neque delectare neque utilia esse. Sic Homeri patriam ignorare non plus incommodi habet, quam nescire, quod nomen ipsius matri fuerit auiaeque. Nec iniuria ridet Seneca (s) Didymum grammaticum, multis disputantem de patria Homeri, de vera matre Aeneae, & plu-

(r) Lib. XIV. cap. 6. (s) Epist. 88. p. 344.

pluribus eiusdem farinae. Tiberium quoque Imp. Suetonius (t) refert eiusmodi quaestiones grammaticis proponere solitum esse: *Quae mater Hecubae? quod Achilli nomen inter virgines? quid Sirenes cantare solitae?* Vbi profecto sapientissima grammatici nec ullo modo pudenda responsio fuisset: NESCIO. *Mihi*, inquit magnus ille & grammaticus & rhetor (u) *Quintilianus*, inter virtutes grammatici habebitur, aliqua nescire. Sapienter itaque reprehendebat *Spenerus* (x) industriam amici cuiusdam, (quem esse *Dan. Guil. Mollerum*, Professore *Altorfium*, aliunde (y) didici,) qui Disputationem ediderat de *fabula Montefiasconia*. *Tantine* erat fabella, inquit magnus ille Theologus, *ut circa eam tua Respondentis tui occuparetur industria? In hac diligentissima etiam deductione vix vllum eius pretium reperio. Addit, hoc esse operose nihil agere.*

§. 12. Eo magis autem laudabilis est ignorantia, si non modo *innocua*, sed plane *fructuosa* est. Huius generis est illa ignorantia, de qua perbene philosophantur *Seneca* in suo de *ira* (z) opere: *Non vis*, inquit, *esse iracundus? Ne sis curiosus. Qui inquit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habitum sint, eruit, se ipse inquietat.* Multo maiori iure

(t) *In vita Tib. cap. 70.* (u) *Lib. I. Instit. orat. cap. 13. extr.* (x) *Consil. Theol. Lat. P. II. p. 4.* (y) *Ex Czuittingeri Hungaria literata p. 265.* (z) *Lib. III. cap. XI.*

iure doctae ignorantiae laudem habet, si quis ea ignorat, quae scire parum prodest, & ad quae discenda infumendum fuisset tempus ad utiliora & magis necessaria discenda necessarium. Qui igitur aliquam artem vel disciplinam ignorat, seque otium suum melioribus rebus addiscendis impendisse docere potest, is vero non qui vituperetur, sed qui laudetur ob ignorantiam suam, dignus est. Recte igitur Auctor *Artis* (a) cogitandi partem esse ait *sapientis ignorantiae*, si quis inutiles *Metaphysicorum* subtilitates vel nunquam didicerit, vel primo quoque tempore dedidicerit. Idem (b) *Scholasticas* de syllogismis regulas more maiorum traditurus, benevole prius monet iuvenes studiosos, ne hic diu haereant, quippe cum morosissimae, ne dicam morosophae, illae regulae parum sint ad *Logicam* praxin utiles. Sic & Ill. *Thomasius* (c) distinctiones *Scholasticorum* obscurissimas ignorari posse censet sine dedecore. Imo potius, inquit, honori reputandum est, ignorare *stultas Scholasticorum subtilitates*, & (hoc enim addendum,) didicisse philosophiam veram.

§. 13. Est igitur haec inscientia adeo non turpis, ut etiam pars sit prudentiae literariae. Prudentis enim studiosi est, ubique usurpare *Cassianum* illud: CUI BONO? item e duobus utilibus eligere id, quod utilius altero est

(a) P. IV. cap. I. p. 309. (b) P. III. cap. 3. p. 177. (c) *Introd. ad philos. aul. cap. XV. §. 16. & 17.*

ac magis necessarium. Imitandi hic sunt mercatores, qui oblata ingentem pecuniae summam lucrandi copiâ occasionem paucos aliquot lucrandi nummos dimittunt. *Video*, inquit prudens literarum cultor, *meliora proboque*, atque adeo, misis minoris momenti pretiisque disciplinis, addiscere studeo. Qui igitur didicit fructuosiora, ei non potest vitio dari, quod ignoret sequiora, quae, nisi omissis melioribus, discere non licebat. *Ignorare melius est*, inquit mecum (d) *Tertullianus*, *ne, quod non debeas, noris, quia, quod debeas, non nosti*. Proinde docta ignorantia est, si quis Latine scribens non assecutus est fastigium eloquentiae Ciceronianae, at interea temporis ipsas disciplinas, e. g. philosophiam, strenue excoluit. Ipse doctam esse ignorantiam iam alibi (e) docui, si quis non habeat in numerato Latinae linguae vocabula omnia, v. c. herbarum, piscium, avium, domesticorum utensilium nomina, sed ea duntaxat, quae frequentioris sunt usus. *Nec poenitet me alio* (f) *loco doctae ignorantiae adscripsisse*, si quis elaborandis Graecis vel Hebraicis orationibus carminibusque bonas horas nunquam perdidit. Docta quoque ignorantia est, si quis fatetur, se noluisse desudare in enucleando aliquo aenigmate, e. g. *Aelia, Laelia, Crispis*. *Re-*  
cor-

(d) *Lib. de praescript. XIV. 4.* (e) *Progr. de ciuitate Lat. p. 8. & 9.* (f) *Orat. de tribus scholae finibus p. 29.*

cordor hic doctissimi *Maii F.* qui (g) *superfluam* vocat *Criticorum sollicitudinem*, quando disceptant, vtrum *A. Gellius* an *Agellius* scribendum; vtrum *Abarbanel* an *Abrabaniel* pronuntiandum sit. *Hanc posteriorem controuersiam* (ita sapienter subiungit *Vir clarissimus*,) *olim fecimus nostram: at nunc dediscendam existimo, quod tunc sciui.* Nam in his talibus aut parum aut nihil exploratae utilitatis positum est. Docta item est ignorantia, si quis theologus *Rabbinorum, Syrorum, Arabum, Aethiopum, Sinensium* scripta legere non potest, iis quippe facile carens, cum carere non possit aliarum scientiâ rerum, quae perfectum efficiunt theologum. Nisi utile est, quod discimus, inquam *Phaedri* (b) verbis, *stulta est gloria.* Docta denique ignorantia est, expertem rudemque esse algebraicarum subtilitatum nulli futurarum vsui. Vnde *Thomasius* (i) studiosos euitare iubet *profunda & subtilia illa studia mathematica*, vtilis simul matheseos partes de meliore nota commendans literatae iuuentuti.

§. 14. *Fructuosæ huius ignorantiae potissimum genus est ea, quam ignorantiam piam siue sanctam* vocare audeo. *Pia scilicet ignorantia* meretur dici, cum quis multa ignorat, quae addisciturus suffurari coactus fuisset tempus studio pietatis ac sanctitatis Christianae. Quanta (k) enim foret inscitia, omnem artium

(g) *Praef. ad lib. I. Obs. sacr. p. 4.* (b) *Lib. III. fab. 17. v. 12.* (i) *Caurel. P. 1. cap. XI. §. 23. 39. 40. & 42.* (k) *Matth. XVI. 26.*

tium ac disciplinarum orbem scientia sua complexum esse, at ea ignorare, quorum sine cognitione non peruenitur ad salutem aeternam? O beatum igitur eum, qui hunc in modum respondere potest: *Ego in notitia linguarum, in historia omnis aevi, in antiquis praecipuarum gentium ritibus, in arte poetica, in scientia physiologica, caeterisque in disciplinis, non sum ita versatus, ut alterum orbi exhibere valeam Virgilium, vel Aristotelem, vel Scaligerum, vel Salmasium, vel Bochartum.* At ea est mediocritatis meae in istis literis causa, quod plurimum temporis impendi lectioni sacrae Scripturae, aliorumque librorum pietatis studio inseruientium, item emendationi corruptissimae meae mentis, & culturae virtutum Christianarum. Hoc modo Paulus apostolus (1) solâ Christosophiâ censerî volebat, reliquam σοφία omnem in minimis, imo pro nihilo ducens. Pie igitur Thomas ille Kemponsis interpellat homines literarum studiosissimos hisce (m) vsus verbis: *Quid prodest tibi, alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? Vere, alta verba non faciunt sanctum & iustum, sed virtuosa vita efficit Deo carum.* Opto magis sentire compunctionem, (id est, poenitentiam,) quam scire eius definitionem. Si scires tota Biblia exterius & omnium philosophorum dicta, quid totum prodesset sine caritate Dei & gratia? *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,*  
prae-

(1) 1. Corinth. II, 2. (m) Lib. I. de imit. Christi cap. I, §. 3.

praeter amare Deum & illi soli seruire. Idem alio (n) loco: *Stude mortificationi vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quam notitia multarum difficultum quaestionum.* Et (o) rursus: *Vae eis, qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi seruiendi parum curant.* Mentio pii illius Thomae me admonet, vt & eorum coarguam stultitiam, qui diu multumque disputant de vero auctore libelli modo laudati *de imitatione Christi*, secure interim negligentes ipsum imitandi Christi studium.

§. 15. Neque vero hinc sequitur, omne literarum studium Christiano homini (p) abiciendum esse. Imo vero literaria studia eo sunt conferenda, vt scientiae virtutisque Christianae sint adiumento, saltim ne obsint. Qui autem pietatis specie omnem ingenii cultum auersantur, eorum inscientia recte impie pia vocabitur. Ac merito notat Cl. Maius (q) eos, qui sine exceptione damnant Rabbiorum lectionem, parique censura S. R. Mublius (r) eos

(n) *Lib. III. cap. 43. §. 1.* (o) *Ibid. §. 2.* (p) *Ne mulieres quidem literas fugere debent ideo, quod, vt Muretus Var. lect. lib. VIII. cap. 21. & Balth. Bonifacius Hist. lud. lib. III. cap. 22. obseruant, mulieres doctae permultae fuerunt admodum libidinosae. Scilicet hae aliter quousvis potius libros legere debuerant, quam Ouidii aliorumque lasciuia carmina. Caeterum si mulieres ideo literas non tractant, quod omne vitae tempus partim domesticae rei cura, partim lectio librorum sacrorum absorbeat, facile statuo, & ipsarum ignorantiam vocari debere piam.* (q) *Praef. ad lib. 1. Obs. sac. p. 8.*

(r) eos prosequitur, qui studium antiquitatum Hebraicarum Theologo indignum pronuntiantes nil aliud agunt, quam ut desidiae patrocinentur suae. Buddeus (s) etiam, Saxoniae theologorum princeps, reprehendit Patrum quosdam, qui cum abusum artium & eruditionis humanae perpenderent, parum absuit, quin omne, quod in artes humanasque scientias impenditur, studium condemnarent. Quapropter & impie pia erat ea ignorantia, quam excordissimus ille S. Franciscus (α) iactabat, omnem eruditionem fastidians, (β) & optimarum literarum

(r) Praef. ad Lundii Jüdische Heiligth. p. 5. & 6.

(s) Theol. mor. P. II. cap. 3. sect. 3. §. 7. p. 565.

(α) Vid. Cl. Loescheri Ephemerides theologicae A. 1717. p. 196. & 197.

(β) Neque fastidians solum, sed & anathematibus & vel flammis infernalibus dignam judicans, quod vel ex hac historia, quam ex L. VII. exempl. Patrum narr. 36. ex actis S. Francisci describam, cognoscere erit. Quidam frater minor Frater Johannes de Sciacchia dictus, valde literatus minister erat tempore S. Francisci in Bononia, qui ordinavit studium Bononiae absque licentia S. Francisci. Beato autem Francisco absente, nuntiatum est ipsi, tale studium ordinatum fore Bononiae: tunc Franciscus immediate ivit Bononiam, & dure reprehendit ministrum illum, dicens; Tu vis destruere ordinem meum; desiderabam enim fratres magis orare, quam legere aut docere. Recedens autem de Bononia S. Franciscus, praedictus Minister ordinavit studium, sicut prius, nec curavit S. Franciscum. Unde ipse turbatus maledixit ei maledictione dura, qui statim post maledictionem coepit infirmari, & sic infirmus graviter

rarum imperitiam, hoc est, summam mentis caliginem, inter sua suæque sectæ decora numerans.

§. 16. De vere pia ignorantia illud addo, ad eam haud immerito referri eorum prudentiam, qui libenter nescierunt, quæ inuestigare & in apricum producere, improbae minusque decorae curiositatis est. Fuere, qui dicerent, ad plene capienda sensa Paulinae ad Romanos Epistolæ opus esse sollicita lectione Martialis ac Petronii. Mihi vero piusque omnibus perplacet *Laurentii Vallae* modestia, qui Priapeia verba intelligendi studium eousque fastidiebat, vt diceret (t) vocabuli cuiuspiam obsceni sensum rogatus: Ignorari

hoc

*viter misit per fratres, rogando S. Franciscum, ut retraheret maledictionem, sed respondit S. Franciscus dicens, illam maledictionem, quam ei dixi, confirmavit Dominus in coelo, & est maledictus. Infirmus itaque jacebat minister ille super lectum. Et descendit ex alto, ipso sic super lecto jacente, quaedam gutta ignea & sulphurea, super corpus ejus penetrans eum totum, & lectum etiam, in quo jacebat, & sic miser ille, cum maximo foetore expiravit, & Diabolus accepit animam suam. O tempora! o mores! Dolendum tamen est, nostra tempestate multos, qui se literarum studiosos vocant, ita vitæ rationem instituere, ut credas, inficetam illam cogitationem eorum animos occupasse, sibi eandem cum illo Bononiensi poenam extimescendam fore. Sed audeo fidem meam sub durissimis conditionibus interponere, formidinem illam prorsus vanam esse. T. d. H.*

(t) Testis est Lud. Vives lib. III. de trad. discipl. p. 287. & Naudæus Apol. promag. susp. cap. VIII. §. 7.

hoc malo, quam me docente cognosci. Summo quoque iure damnata fuit curiositas Cottoni, Iesuitae, qui permultas quaestiones Diabolo puellam quandam obsidenti proponebat, & a tam turpi magistro edoceri cupiebat veritatem. Exhibet illas quaestiones clarissimus Sueviae theologus, *Iaegeus*, in sua *saeculi XVII. Historia (u) ecclesiastica & politica*, annectitque iis *ἐπιχειρησι* theologiam. Scilicet eius, qui Iesu sectatorem in primis se profitebatur, erat, dicere: *Ignorare ea malo, quam scire docente Diabolo.*

II.

Petri von SARN,

V. D. M.

MERCURII

cum

Angelo Fæderis

Comparatio.

**M**ercurium, post alios Gentilium Deos, eundem cum *Mose* esse prolixè probare conatus fuit illust. *Huetius* *Demonst. Evang. Prop. IV. Cap. IV.*

O 2

§. 2.

(u) *Dec. I. lib. v. cap. 8. conf. Baelii Diction. Crit. v. Bon-gars not. M.*

§. 2. Cel. Bochartus Phaleg. Lib. I. Cap. 2. illum pro *Canaane* habet *Chami* filio. Cl. *Hulfius* *Melchisedeci* p. 213, 214. maximè cum *Henocho* è *Cœlis* reduce comparat, licet p. 215. paucula quædam *Christo*, *Fœderis* *Angelo*, applicet.

Et hæc mihi sedet animo *Sententia*, plurima & primaria, quæ de *Mercurio* à *Veteribus* prodita & à *Natale* *Comite*, *Huetio* aliisque sunt collecta, (a) *Jehova* *Legato* competere.

A *Nomine* ut ordiar,

1. *MERCURIUS* mihi non est *Merces* *curans*, vel *Medicurius*, nec nomen adeptus à *מרכולת* *Negotiatione*; Sed vel est *מר קורא* *Dominus*, propter *Intercessionem*, *occurrentis*, vel, ut mihi arridet, *מר קורא* *Dominus* *vocans*, *predicans*, quo titulo *Messias* *Jes. XL. 3.* gaudet.

2. *Mercurius* *Græcis* est *Ἑρμῆς*, *HERMES*, non ab *ἔγω* *dico*, *nuntio*, nec à *רמה* *decipio*, sed potius à *רום* in *Hiph.* *הרים* *tollo*, *extollo*: *Christus* enim, quæ *verus* *Deus*, non modo est *רום* *ALTUS*, *habitans* *מרום* in *ALTI- TUDINE*, *Jes. LVII. 15.* Sed & *ascendens* *למרום* in *ALTUM* *Pf. LXVIII. 19.*

3. *Mercurius* à *Caribus* cultus appellatur *IMBRAMUS*, qui *Abramum* redolet, *cujus* *Se-men* est *Christus*. *Gen. XXII. 18.* *XXVI. 4.* coll.

(a) Valeant hæc quantum valere possunt. Cautè enim hæc & cum sacro tremore tractanda sunt, ne quis hæc longius ac par est, trahat, aut inde, quæ ex iis non sequuntur, eliciat. T. d. H.

coll. Gall. III. 16. *Patrum* autem nomina, tam apud *Aegyptios*, quam in *Sacris* aliquando *Filiis* tribuuntur, unde *Messias*, *Filius Davidis*, vocatur *David*. Ezech. XXXIV. 23, 24. Hof. III. 5. &c.

4. *Mercurius* nominatur **CASMILUS**, **CADMILUS**, **CAMILLUS** i. e. *Hetruscorum* Linguâ, **SERVUS**; qui aliàs τῶν Θεῶν ΤΡΗ-  
PETHΣ & **MINISTRATOR** cluit: *Christus* est **SERVUS** *Jehovæ*. Jef. XLII. 1. LIII. 11. Zach. III. 8. &c. **SERVUS** *Dominantium* & *Deorum* *Dicitiorum*. Jef. XLIX 7. coll. Pf. VIII. 6.

5. *Mercurius Edessenis* (al. *Emesenis*) dictus **MONIMUS**, propter *Suavitatem Sermonis*, quasi מנעים sec. *Bochartum*, qui *Hebræam* vocem מנעים ad *Orationis delicias* & *elegantiam* sæpe pertinere docet ex *Prov. XVI. 24.* &c. Hinc *Homero* est ΑΙΜΥΤΑΟΜΗΤΗΣ, *blandiloquus*, quem ideo finxerunt aurea catena *auribus* hominum annexa eos, quocunque voluerit, traxisse.

Eodem modo *Labiis Messie infusa* est **GRATIA**. Pf. XLV. 3. dum ad cor loquitur Hof. II. 15. & ad *Sermones Oris sui aures* jubet inclinari. Pf. LXXVIII. 1, 2.

6. *Mercurius* fuit **JOVIS** *Filius*: *Messias* **JEHOVÆ**. Pf. II. 7. *Prov. XXX. 4.*

7. *Mercurium* honorarunt ut unum *Deorum* **CABIRORUM**, de quibus legi meretur peculiaris *Tobie Guthberlethi* *Dissertatio*: *Christus* est una ex *Deitatis* *Personis* verè כבירים

ΑΥΝΑΤΟΙΣ & POTENTIBUS, *Deus* FORTIS  
Jes. IX. 6. &c.

8. *Mercurius*, qui *Horatio* Carm. I. Ode X.  
*Magni Jovis* & *Deorum* NUNTIUS, & *Ovidio*  
Met. Lib. II. Fab. 12.

*Jussa per auras*  
*Verba Patris portat.*

*Homero* est 'ΑΓΓΕΛΟΣ ἀθανάτων, 'ΑΓΓΕΛΟΣ τῶν  
μακρόων, *Hesiodo* ΚΗΡΤΕ θεῶν, *Virgilio* *Æneid.*  
IV. 356. INTERPRES Divum.

*Christus* est ANGELUS *Jehova* Gen. XVI. 7.  
&c. ANGELUS *Dei*. Exod. XIV. 19. AN-  
GELUS *faciei* Jes. LXIII. 9. ANGELUS  
& INTERPRES Job. XXXIII. 23. missus ΚΗ-  
ΡΤΕΑΙ &c. Jes. LXI. 1.

9. *Mercurius* dictus FATALIS, quod *Decre-*  
*ta Jovis* hominumque FATA patefecerit: *Uti*  
& *Christus* *Nomen Dei* manifestavit *fratribus* Ps.  
XXII. 23. & *Justitiam* ejus annuntiavit Ps. XL.  
10. 11. ut *Justitiæ Doctor*. Joël II. 23. & *Pro-*  
*pheta equalis Mosi* Deut. XVIII. 15. 18.

10. *Mercurius* ORACULUM apud *Pharen-*  
*ses* habuisse dicitur: *Angelus Jehova* *Hieroso-*  
*lymis* in *Sancto Sanctorum* inter *Cherubinos*  
è *Nube* respondit & verè divina fudit ORA-  
CULA.

11. *Mercurius* fuit *Legatus* in *Bellis* ad FOE-  
DUS faciendum, unde PACIFERI titulum  
gerit: *Christus* est *Angelus* FOEDERIS. Mal.  
III. 1. datus in FOEDUS populi. Jes. XLII. 6.  
Princeps PACIS. Jes. IX. 6.

12. NUNTIORUM *Deus* fuit *Mercurius*, qui & ipse homines *bonis* afficit *nuntiis* atque apud *Plautum* in *Amphitruonis* Prologo se NUNTIIS *præesse* gloriatur.

*Christus* missus est ad *bonum* afferendum NUNTIUM *Jes.* LXI. 1. ablegando *Exercitum* EVANGELIZANTIUM. *Ps.* LXVIII. 12. *Conf.* *Jes.* XL. 9. LII. 7.

13. *Mercurio* tanquam CONSILIARIO & *Scriba* usus dicitur *Saturnus*: *Messias*, in *Sibyllæ* foliis ΣΥΜΒΟΛΑΟΣ, vocatur CONSILIARIUS *Jes.* IX. 6. apud quem est CONSILIUM. *Prov.* VIII. 14. *quiescente* super ipso *Spiritu* CONSILII *Jes.* XI. 2.

14. *Mercurius* pingebatur ALATUS, unde *Statio* ALIGER & VOLUCER: Nec minus præter *Jehovam* *Ps.* XXXVI. 8. XCI. *Christo*, *Soli*, *Justitiæ*, ALÆ annectuntur. *Mal.* IV. 2.

15. *Gallus*, *Ales* ille *Excubitor*, in *Signum* *Vigilantiæ* assedit *Mercurio*, cui ob negotiorum pondera neque per noctem DORMIRE licuit: *Custos* *Israëlis*, *Messias*, non DORMITAT neque DORMIT, *Ps.* CXXI. 4. quare etiam vocatur VIGIL. *Dan.* IV. 13.

16. *Mercurius* ob occisum ANGUEM dictus ΟΦΙΟΚΤΟΝΟΣ: *Revera* *Semen* *Mulieris*, *Christus*, ΟΦΙΝ & SERPENTEM antiquum, *Satanam* conculcavit *Gen.* III. 15. Et *Leviathanem*, rectum & tortuosum ANGUEM, interfecit *Jes.* XXVII. 1.

17. *Mercurius* eodem die natus *Cupidinem* Palæ-

Palæstra superasse dicitur : quo summus omnem humanam *charitatem* vincens *Christi* AMOR indigitari potest, dum AMAT populos Deut. XXXIII. 3. & amantes se AMAT. Prov. VIII. 17. Jes. XLIII. 4. nam, ut *Jehovab*, AMAT justos. Ps. CXLVI. 8.

18. Mercurius effictus ut JUVENIS FORMOSUS, acribus OCULIS : *Messias* & PUER natus. Jes. IX. 6. FILIUS hominis Ps. VIII. 5. Dan. VII. 13. VIR Gen. XXXII. 24. PULCHER *præ filiis hominum* Ps. XLV. 3. OCULIS columbinis Cant. V. 11. & vino rubicundis. Gen. XLIX. 12.

19. *Ægyptii* Simulacrum partim ATRA, partim AUREA & CLARA facie statuerunt *Mercurio* : *Christus* dilectus *Ecclesiæ* Sponsus est FULGIDUS & RUBER, Caput ipsius est AURUM Solidum & Capilli crispi NIGRI ut *Corvus*. Cant. V. 9. 10.

20. ARIES pictus prope *Mercurium*, qui & Penelopen deperiens in HIRCUM mutatus fingitur, respicere potest ad ARIETEM, typum *Christi* loco *Isaaci* & *Ecclesiæ* mactatum Gen. XXII. 13. uti & alias ARIETES & HIRCI in V. T. oblatis *Messiam* adumbrarunt.

21. Mercurius SCEPTRUM *Jovi* sustulit : *Messie* æquè ac *Patri* tribuitur SCEPTRUM. Ps. II. 9. XLV. 7. CX. 2.

22. Mercurius OVES PAVIT, unde NOMIOS dicitur : *Christus* est PASTOR, populum suum PASCENS, instar OVIUM. Ps. XXIII.

XXIII. 1. LXXX. 1. Ezech. XXXIV. 23.

23. Hinc habitus est *Deus PASTORUM*: Quo pacto *Angelus Fœderis* est *Deus Israelitarum*, qui *PASTORITIAM* transegerunt *Vitam*. Gen. XLVI. 34. XLVII. 3. &c.

24. *Mercurius* fuit *Deus FURUM*, unde *Homerus* in *Hymno*:

Ἄρχος ΦΗΛΗΤΕΩΝ κεκλησέαι ἡμῶν πάντες.

Tu *FURUM Princeps* dixeris *tempus in omne*.

Quia *Angelus Jehovæ* per *Mosen* populo fuit auctor, sumendi ab *Ægyptiis* mutuo vasa aurea & argentea, *Exod.* XI. 2. quæ etiam *Israëlitæ* cum vestibis pretiosis, *Ægyptum Spoliando*, secum abstulerunt. *Cap.* XII. 35. 36.

25. *PISCATORUM Deus* censebatur *Mercurius* & *LITTORUM Præses*: Quia *Angelus Domini* *Israëlem* manu *Mosis* per *MARE* duxit *Erythraeum* & per *JORDANEM* manu *Josuae*.

26. *MERCATORUM Deus* putabatur *Mercurius*, cui hinc *Romani* Cognomina *NEGOTIATORIS* & *NUNDINATORIS*, *Athenienses* ἈΓΟΡΑΙΟΥ, ΠΑΛΙΓΚΑΠΕΛΟΥ, Ἐμποροῦ δederunt. Vide *Rous Archæol. Atticæ* Lib II. *Cap.* II. Nam *Angelus Fœderis* ponderis & mensurarum leges in *emtionibus* & *venditionibus* observandas præfixit. *Lev.* XIX. 35. 36. XXV. 14.

27. *Mercurius Dux* fuit *VIARUM*, unde vocatus ὈΔΙΟΣ, Ἐνοδιος, Ἡγεμονιος, Ἀγῆτωρ. *VIACUS* &c. Conf. *Cl. Ottonis* *Dissert.* de *Diis Vialibus* *Cap.* VII. p. 98. &c. *Jehovæ Angelus*

gelus Israëli per deserta ad Canaanem iter instituendi VIAM in Columna Nubis & Ignis, Ducis instar præcedens, commonstravit. Exod. XIII. 21. Deut. I. 33. Neh. IX. 12. 19.

28. Et ab hac COLUMNA *Hermas Statuasque Mercuriales* præ foribus & in Viis positas, unde Ἑρμης ΣΤΡΟΦΑΙΟΣ & ΠΡΟΠΥΛΑΙΟΣ, prognatas esse, mihi, cum aliis, verosimillimum est.

29. *Mercurius Deus ELOQUENTIÆ Martiali* aliisque est FACUNDUS: Nam *Christus* in V. T. maximè locutus fuit, ut OS *Jehovæ*. Jef. XL. 5. המרבר Ille LOQUENS. Jef. LII. 6. VERBUM Ps. XXXIII. 6. &c. LXX. ΛΟΓΟΣ quod nomen *Ethnici* Scriptores quoque adoptarunt, quorum testimonia videri possunt apud *El. Schedium* de Diis Germanorum &c. Syng. I. Cap. XII. p. m. 221. &c.

30. Et quia *Jehovah Messie* Doctorum dedit LINGUAM. Jef. L. 4. LINGUÆ Victimarum *Mercurio* in Sacris offerri solebant.

31. *Mercurium* ajunt *Ægyptiis* LEGES fixisse: *Fæderis Angelus* Israëlitis ex *Ægypto* liberatis, quos *Gentiles* cum *Ægyptiis* confuderunt, LEGES tulit.

32. Unde & *Mercurius Deorum* CULTUM & *Sacra* eorumque ritum introduxisse traditur: Quod imprimis spectat ad *Leges Ceremoniales* in CULTU veri *Dei* ab Israële respiciendus.

33. De Mercurio Virgilius Æneid. Lib. IV.

*Animas ille evocat Orco,*

*Pallentes alias sub tristia Tartara mittit.*

Christus de se: Occido & Vivifico. Deut. XXXII.

39. qui ut Jehovah ducit in *לואו* & educit.  
1. Sam. II. 6. Convertit hominem ad contritionem  
(in morte) & dicit: Revertimini Filii hominum (in  
resurrectione) Ps. XC. 3.

34. Mercurium artem PRÆSTIGIATO-  
RIAM excogitasse quidam voluerunt: Fortè  
inde, quia Angelus Jehovæ Mosen ad Pharao-  
nem misit, coram quo ille, baculo in Serpen-  
tem mutato &c. ipsis Magis superior multa  
patravit miracula.

35. SOMNIA Mercurio fuerunt consecra-  
ta, quare Homero *ἡνυτῶε ὄνειρον*, Dux  
SOMNIORUM audit: Quomodo Legatus Dei,  
ut ipse Deus, in SOMNIIS suam sæpissimè ape-  
ruit voluntatem, Abimelecho Gen. XX. 3.  
Labani Gen. XXXI. 24. Salomoni. 1. Reg. III.  
5. &c. Maximè ipsum Angelum Dei Jacobum in  
SOMNIO allocutum fuisse, expressè memo-  
ratur Gen. XXXI. 11.

36. Mercurius Palestinis, utpote certantibus Præ-  
fectus, adstitit: Christus est Dux Exercitus Je-  
hovæ. Jos. V. 14.

37. CONCIONIBUS ad fuit Mercurius:  
Messias est Deus terribilis in Magno Sanctorum  
CONCILIO. Ps. LXXXIX. 8. COETUI ma-  
gno annuntiat justitiam. Ps. XL. 10. 11.

38. Mercurio Sacri fuerunt MONTES: Vel  
quia

quia *Angelus Jehovæ* cum Abrahamo filium immolaturus in MONTE *Moriab*, cui postea Templum superædificatum, verba fecit; Vel quia è MONTE *Sinai* legem dedit.

39. *Mercurius Lycophroni* est ΤΡΙΚΕΦΑΛΟΣ, TRICEPS, quod *Cœlestis, Terrestris & Marinus Deus*.

*Christus, verus Deus, es!* Omnipræsens in Cœlo, Inferno & Extremo Maris. Ps. CXXXIX. 8, 9, 10. facitque omnia pro voluntate in Cœlo, Terra, Mari & Abyssso. Ps. CXXXV. 6.

40. TRISMEGISTI Cognomen additur *Mercurio*, quod sit ΤΡΙΣ ΜΕΓΙΣΤΟΣ, *Philosophus Maximus, Sacerdos Maximus & Rex Maximus*; Ex quo fonte *Messias* est ΤΡΙΣΑΓΙΟΣ *Jes. VI. 3. Propheta, Sacerdos & Rex*, ut notissimum.

41. FONTES *Mercurio Sacri*, dum *Angelus Jehovæ* apud FONTEM invenit *Hagarem* Gen. XVI. 7. ejusque oculos ad videndum FONTEM aperuit Gen. XXI. 19. qui ipse est FONS *Vitæ*. Ps. XXXVI. 10. FONS *Salutis* *Jes. XII. 3.*

42. *Mercurio VITULUS* mactabatur, quo alluditur ad *Sacrificia*, inter quæ VITULI Exod. XXIV. 5. Lev. IX. 2. &c.

43. HORTORUM *Deus* statuitur *Mercurius*: *Angelus enim Jehovæ* in *Paradiso*, HORTO *Dei*, cum *Adamo* Sermones miscuit.

44. LAC & MEL offerri solitum *Mercurio*: *Messias* erat BUTYRUM & MEL manducaturus. *Jes. VII. 14.* in terra fluente LACTE & MELLE. Exod. III. 8. XIII. 5. &c.

45. Eâ de causâ *Mercurius* dicitur *ARCAS* & *Deus ARCADIAE*, quia in *ARCADIA* educatus, quæ *Mythicis Scriptoribus* est *Terra Canaan, Terra Immanuelis*. *Jes. VIII. 8.*

46. *Mercurius* ad Exemplum aliorum *Deorum* multos genuit *FILIOS*: *Christo* generantur *FILII* roris instar matutini *Pf. CX. 3.* unde *Jes. VIII. 18.* inquit: *Ecce Ego & FILII mei &c.*

47. *Mercurii* *NOMEN* proprium ob reverentiam vulgo & temere pronuntiare non licebat; Quomodo & *Diphilus* *Comicus* de *Deo* omnium *Domino*:

Ὁυ τ' ἔνομα φοβερον εἶδ' ἀν ὀνομασαι μ' ἐγω.

Cujus nomen formidabile nec ego nominaverim. Quod respectu *Angeli Fæderis* haustum videtur ex *Gen. XXXII. 29.* *Jud. XIII. 18.* *Prov. XXX.*

4. qui etiam præcepto tertio *Nomen Dei* in vanum sumere prohibuit.

48. *Mercurium* *PRECES* hominum ad *Deum* allegare, memoriæ proditum est. *Christus* est *Mediator Dei & hominum*, pro suis intercedens, apud *Deum*, ne in foveam descendant *Job. XXXIII. 24.* in cujus nomine orandum, quo pacto *Daniel* *PRECUM* suarum exauditionem à *Deo* propter *Jehovam* & *Messiam* flagitat: *Dan. IX. 17.*

49. Utrumque *Sexum* *Mercurium* habuisse, *MAREM*que & *FOEMINAM* fuisse dicunt, Dum jam (Verba sunt *Cl. Hulsii* *Melchis*. p. 215.) tanquam *ANGELUS*, jam tanquam *Sapientia* *Essentialis* ac *MINERVA* (de quâ aliàs) agit ac prodit.

50. Mer-

50. *Mercurius Homero est ΔΩΤΟΡ 'ΕΑΩΝ:*  
DATOR BONORUM:

*A CHRISTO veniunt omnia DONA bona.*  
In quo versiculo, calamo præter opinionem  
excidente, brevitati studens, opportu-  
ne desino.



III.

JOH. LAUR. MOS-  
HEIM, (a)

ad

*Virum Amplissimum & Consultissimum*  
CHRISTFRIDUM WAECHT-  
LERUM, Jctum,

pro

*Dissertatione sua de Telesticis APOL-  
LONII TYANAEI imaginibus*  
Epistola Critica.

§. I.

**N**on est, quod dubites, WAECHT-  
LERE, *Vir Amplissime*, magni a me  
beneficii loco esse habitum, quod  
doctissimis litteris, ad Illustrem  
MEN.

(a) Ad *Job. Laur. MOSHEMIUM*,  
valde suum  
EPIGRAMMA.

MOSHEMI, nostri certissima gloria faecli,  
Digna cedro viridi cum tua scripta lego:

Sive

MENCKENIUM datis, (a) quae de  
*telesticis APOLLONII figuris* (b) commenta-  
 tus sum, examinare volueris. Semper mi-  
 hi ridiculi visi sunt, qui, si in adversarios in-  
 cidant, molestias sibi nasci conqueruntur.  
 Quis enim sapiens umquam aegre tulit, sibi in  
 rerum veritatem diligentius inquirendi, se  
 ipsum emendandi, mentem suam dilucidius  
 explicandi occasionem exortam fuisse? Cer-  
 te ut obtrectationes & calumniae id saepius ef-  
 ficiunt, ut majorem vitae nostrae curam ge-  
 ramus,

Sive manu tractas oracula Dia trementi,  
 Ceu priscos criticâ corrigis arte libros.  
 Dogmata ceu veterum monumentaque culta Sopho-  
 rum,

Sedululus immenso discutis ingenio.  
 Ceu vani explodis commenta profana Tolandi,  
 Tot dotes animi divitis obstupeo.

Mirror tot vigili tibi lecta volumina nocte,  
 Admiror terfi deliciasque styli.

Tunc mecum; sapiunt annos ea scripta seniles,  
 Dudum Auctor Pylios adrigit ille dies.

At cum sollicitus quaero, quot vixeris annos?  
 Nuper, ais, quintam transi Olympiadem.

Hoc tibi vis credi? Credat Judaeus Apella,  
 Vix cadit in canum copia tanta senem.

Aut ergo dignos Sene desine scribere libros,  
 LAURENTI, aut noli dicere te Juvenem,

Si tamen es Juvenis; MOSHEMI culte, licebit  
 Annorum centum dicere te Juvenem!

T. d. H.

(a) Prodiit ea nuper in Actis Erud. hujus anni mense  
 Aprili p. 177. f.

(b) In hujus Biblioth. Cl. III. Fasc. I. p. I. sqq.

ramus, sic secus sentientium disputationes, ut lux veritatis, qua nihil viro bono dulcius esse potest, illustrior fiat, etiam quando pungunt, faciunt. Quidni ergo TE mihi adversarium obtigisse non modo non doleam, verum etiam laeter, quo nec eruditioem, nec honestiorem adipisci me potuisse, variis documentis constat? Neque vero Tibi grave futurum, qua es humanitate, arbitror, quod vicissim quae Tibi in meis a veritate abhorre-re visa sunt, jam paullo plenius explicare susceperim. Idem quod Te commovit, ut Te mihi opponeres, veritatis studium, hanc a me operam flagitavit. Non igitur dubium est, quia jam idem illud hanc meam epistolam, si minus gratam & jucundam, certe non molestam Tibi redditurum sit.

§. II. Ante vero quam ad ea accedam, quae in Tuam incurrerunt reprehensionem, nihil erit utilius, quam si & mentem meam, & argumentorum pondera, quibus eam confirmavi, brevibus repetam. Non omni artium, quas arcanas vocare solent, notitia APOLLONIUM caruisse, negavi. Non extitisse ejus generis imagines, quibus maximam plebs virtutem adscripserit, quasve ab APOLLONIO profectas esse putaverit, disputavi. Sed id tantum volui ostendere, APOLLONIUM harum nugarum praecipuum inter Graecos magistrum haud fuisse, nec ea quae Antiochiae & Byzantii collocasse dicebatur

admirandæ efficacitatis opera ibi posuisse. (c)  
 Id ut demonstrarem, hoc argumentandi genus  
 adhibui. DAMIS, MAXIMUS & MOERAG-  
 GENES nihil ejus generis de eo retulerunt,  
 qui tamen res ab eo gestas omnium optime  
 nosse potuerunt. PHILOSTRATUS, Hi-  
 storicus ejus, licet nihil prætermitteret, quod  
 herois sui gloriam aliqua ratione amplificare  
 posset, hæc monumenta plane ignoravit.  
 HIEROCLES, vir & maxima illustris digni-  
 tate, & APOLLONII studiosissimus, nihil  
 de illis acceperat. Sæculo quidem quarto  
 rumor erat, inventa ejus generis monumen-  
 ta fuisse, ab APOLLONIO constructa. Ve-  
 rum neminem unum ea vidisse, ISIDORUS  
 scriptor ejus ævi memoriæ prodidit. Sæcu-  
 lo denique septimo Græci quidam, quos nu-  
 garum cupidissimos & mendaciis amicos fuis-  
 se, nullus ignorat, repente existunt, qui An-  
 tiochiam & Byzantium plurimis istiusmodi  
 operibus ab hoc viro exornatas esse perhi-  
 bent, & ea simul narrant, quæ nulli anti-  
 quiorum in mentem venerant. Quin si o-  
 mnia circumspicias, unus tantum est, non  
 plures, a quo hæc narrationes ad ceteros ma-  
 narunt. Igitur neque hanc disciplinam disci-  
 pulis suis in primis tradidisse APOLLONIUM,  
 nec Antiochiæ & Byzantii tantæ virtutis ope-  
 ra condidisse, credi potest; sed hæc omnia ad  
 eas sedes pertinent, quas innumeris recen-  
 sio.

Class. V. Fasc. II. P. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.

(c) Ita mentem meam aperte exposui p. 5. & p. 30.

tiorum Græcorum commentis viri docti dudum concesserunt, imaginaria nimirum spatia; Vide, vir Amplissime, quid sentiam, & cur ita sentiam. Jam quid Tibi in meis cogitationibus displicuerit, ordine considerabo. Vellem equidem, totam hanc demonstrationem, omnesque ejus locos excussisses. Nec enim ignoras, quorum magna vis est, si suo loco constituta sint, eorum si ex eo, relictis aliis, detrudantur, summam interdum imbecillitatem videri. Verum quam hinc inde tantum nonnulla decerpere, quæ impugnares. TIBI visum sit, TUA mihi vestigia sequi, etiam non molestum erit.

§. III. Principio, male me fecisse existimas, quod APOLLONIUM præcipuum arcanarum figurarum magistrum apud Græcos fuisse, cum incomparabili viro, OLEARIO, dicere noluerim. Ac primo quidem eandem tenuisse cum illo sententiam JO. SELDENUM, mones, quem ego tamen meis rationibus favere scripserim. Hunc enim verborum TUORUM sensum esse arbitror, quæ, nescio cujus vitio, obscuriora mihi visa sunt: Ferre non potuit, inquis, quod Olearius dixerat, præcipuum illarum inter Græcos magistrum eundem fuisse. Seldenus autem dixerat similiter, ante Apollonii Tyanæi tempora nunquam in Græcia has artes telesmaticas fuisse notas, a Zabiis autem habuisse originem. Mosheimius hic ad stipulari Seldeno noluisse videtur. Apollonii tempore τελεσικην non admodum fuisse notam

notam. Sed nullam plane hic pugnam cernas. (d) Forte loco noluisse in his vocibus tuis voluisse legendum est: quod eum, quem expressi, sensum illis conciliat. Id ergo vis, idem SELDENUM, quod OLEARIUM dixisse. Ego vero, licet ingenue fatear, SELDENUM, quod olim existimavi, non in eadem mecum opinione esse, eum tamen OLEARII sententiam illis verbis proponere voluisse, non arbitror. Primum harum nugarum magistrum APOLLONIUM apud Græcos fuisse, ni fallor, dicit, quando ante APOLLONII tempora has artes in Græcia non fuisse notas, scribit. Quantum vero inter primum & inter præcipuum magistrum, quæ OLEARII est sententia, interfit, nullus ignorare potest. Quod me porro male OLEARIUM accusasse existimas, quod, quæ miranda Philosophus noster Antiochiæ fecisse & Byzantii dicitur, ab eo perfecta esse, crediderit, in eo pariter paullo æquiores TE magni hominis famæ fuisse, opinor. Eundem autem Apollonium, ita scribis, (e) ea fecisse, quæ Antiochiæ & Byzantii miranda fecisse putatur aliis, haud scripsit D. Olearius. Nam illa commemorantur a recentioribus quibusdam. Scripsit vero, Vir doctissime, nec ullam ego summo viro injuriam intuli. Lege, si placet, hæc ejus verba, (f) *Hujusmodi ἀποτροπαία vero sive τε-*

P 2

λεξιαι

(d) Acta Erud. l. c. p. 177.

(e) Loco jam indic.

(f) Notis ad Philostrati Lib. IV. c. X. p. 147.

λεσινα, plura ab Apollonio confecta ex Dominico me-  
 morat Joannes Antiochenus Chronogr. p. 342. J. &  
 Cedren. p. 197. 246. Byzantii nempe contra ciconias,  
 Lycum fluvium & aquos ferocientes: Antiochie  
 adversus ventum aquilonarem & scorpis culices-  
 que, & quæ sequuntur his, adhuc disertiora. (g)  
 Sunt & alii operis ejus in PHILOSTRATUM  
 loci, quibus has narrationes a se non in du-  
 bium vocatas esse, luculenter prodit. Ce-  
 terum a mea TE non abhorreere sententia, at-  
 que adeo præcipuam commentationis meæ  
 partem, Antiochensibus his & Byzantinis pro-  
 digiis oppositam, probatam TIBI esse, gau-  
 deo. Hæc ergo tantum inter nos controver-  
 sia restat: An præcipuus artis, quam telesicam  
 vocant, magister APOLLONIUS in Græcia fuerit?  
 Tu post OLEARIUM adfirmas: Negavi ego.  
 Videamus, quibus rationibus, ut a me dis-  
 sentires, commotus sis.

§. 4. Ante omnia, ne cum larvis pugne-  
 mus, quæ vis loquutionis illius sit: præcipu-  
 um artis cujusdam magistrum esse, dispiciendum  
 erit. Mihi præcipuus is magister dicitur, qui  
 rem quandam studiose tradit & inculcat, ac  
 præ ceteris omnibus id sibi datum credit, ut  
 eam plurimorum animis instillando ad poste-  
 rita-

(g) Nimirum, qui refert aliquid, plurimumque te-  
 stium fide illud inniti multis docet, quod hic OLEA-  
 RIUS facit, nec sibi illud suspectum videri vel vo-  
 eula indicat, is profecto illud credidisse dicendus  
 est.

ritatem transmittat: quin etiam ipse peritissimū se illius esse, plurimis exemplis ostendit. Non alio sensu hæc verba OLEARIUM cepisse, ex eo evidens est, quod, ut jam docui, Græcorum narrationibus de figuris & statuīs Antiochiæ & Byzantii ab eo collocatis, fidem habuerit. Et quis ei præcipui magistri in hac arte nomen tribuere nollet, si hæc omnia vere ab eo profecta esse, extra dubium foret? Quod si ergo telesticæ doctrinæ præcipuus magister vocari debet APOLLONIUS, discipulos eum suos hac disciplina in primis imbuisse, multis monumentis, quam in ea versatus sit, declarasse, nec ullum hac arte clariorem inter Græcos extitisse, ostendendum est. Jam ego vero, hoc ex PHILOSTRATO, & antiquioribus aliis demonstrari haud posse, intelligebam: PHILOSTRATUM virtutum potius præcepta & cultum Deorum APOLLONIUM docuisse, quam has nugas, perhibere videbam: Græcos recentiores, examine instituto, fucum nobis fecisse, animadvertēbam. Concludebam igitur, errasse adhuc, qui hanc artem telesticam in primis ab eo propagatam & propositam esse, dixerant. Tu quum fabulas esse, quæ de Antiochenis & Byzantinis monumentis feruntur, mecū agnoscas, in quibus tamen maximum ac pæne unicam opinionis hujus præsidium collocatum est, nihilo minus in errore me versari contendis & laudem hanc a me injuste APOLLONIO

LONIO ereptam esse, putas. Meum est, vi  
vorum explicata, num male calculos posue-  
rim, disquirere?

§. 5. Primo loco *αγαλμα αποτροπαϊον* ab  
eo Ephesi positum objicis. *An credat, inquis,*  
(b) *Mosheimius Philostrato, Apollonium struxis-*  
*se Ephesi adversus pestem αγαλμα αποτροπαϊον lib.*  
*4. c. 10. non liquet. Videntur autem imagines*  
*telesticæ, αγαλματα talia, statuæ telestica, &*  
*quocunque nomine veniant artes Apollonii, in eundem*  
*censum cadere, & a vaferrima Magia istorum*  
*temporum ortum habere. Liquet vero, vir do-*  
*ctissime, me, licet summo jure negare potue-*  
*rim, hoc αγαλμα admisisse. Vide quæ scri-*  
*psi: (i) Non enim cum Indiæ sapientibus, cele-*  
*berrimis somniorum horum magistris, versatum es-*  
*se, ignoro, & αγαλμα αποτροπαϊον Ephesi ad-*  
*versus pestem dedicasse, ex PHILOSTRATO didi-*  
*ci. Qua vero ratione ope hujus monumenti*  
*effici possit, præcipuum artis telesticæ ma-*  
*gistrum in Græcia, & quidem talem eum fu-*  
*isse, qualem Græculi nobis fingunt, id est,*  
*quod neq; tum, neque hodie perspicere potui.*  
*APOLLONIUS arcanum contra pestem mo-*  
*numentum ponit. Ergo multa posuit alia ejus*  
*generis, ergo artem ejusmodi statuas con-*  
*struendi publice docuit, ergo præcipuus ejus*  
*magister fuit. Certe hoc se TIBI disputan-*  
*di genus non probabit. Nihil aliud, quod*  
*in*

(b) l. c. p. 178.

(i) Diff. de figur. teiest. p. 5. 6.

in mea Dissertatione jam monui, quam hoc, sequitur, aliquam doctrine hujus, si quidem doctrine nomine nugarum cumulus appellandus est, eum notitiam habuisse. (k) Certe diversa sunt, disciplinam quamdam callere, & eam ore & opere tradere. Revera tamen, pergis, primum illum apud Græcos ab imaginibus istis celebrem factum esse, asserit etiam Stanlejus, & Joh. Clericus. (l) Patere, ut in his verbis primum controversiæ momentum negligi dicam. Non quæritur, an primus hujus artis magister fuerit, sed an præcipuus? Illud verò, non hoc adstruis, quando primum celebrem istis imaginibus factum esse, dicis. Magna mihi deinceps est magnorum hominum auctoritas, eorum præcipue, quos nominas; sed tamen non ea, ut sine rationibus, quod dicunt, ratum habeam. Sed has frustra in verbis eorum quæro. Quamquam quid quæro? Certe non defendunt illud summi viri, de quo disputamus. STANLEIUS primum has fabricandi imagines artem eum Græcis tradidisse, contendit. Neque mihi hæc ejus sententia, quum scriberem, ignota fuit. (m) At de hoc nulla nunc quidem inter nos lis est. CLERICUS Magicis artibus eum celebrem fuisse, adfirmat. (n) Neque hoc in controversiam vocavi,

P 4

(k) Hæc mea verba sunt l. c. p. 5.

(l) l. c. p. 178.

(m) Quin ipsa ejus verba exscripsi l. c. p. 30. Not.

(n) Histor. Eccles. Sec. I. p. 500.

cavi, qui generatim non de *Magia*, sed de *figuris telescicis* scripsi. Et quod ad hunc separatim adinet, non obscure nuper, se a meis rationibus non abhorre, indicavit. Quo loco enim opusculorum meorum, quæ hæc Bibliotheca continet, honorificam plane mentionem facit, demonstrasse me, aperte inquit, *fabulas esse, quæ de Apollonii figuris telescicis ferrentur*. Quamquam, quod addit vir eximius, ostendisse me, *fraudes hujus generis Apollonii etate nondum fuisse notas*, nisi paullo arctiori sensu capiatur, de labore meo prædicari nequit. (o) Inter ipsas laudes, quas vir eruditissimus commentationibus meis de die Christi ab Abrahamo visa & de etate Apologia ATHENAGORAE, nescio quo jure, tribuit, tamen se mecum non sentire, significat. (p) Quare ergo non idem de hac lucubratione mea professus esset, nisi in meam concessisset sententiam?

§. 6.

(o) Biblioth. ancienne & moderne Tom. XIII. P. II. p. 342. L' Auteurs fait voir que ce qu'on dit des Talismans faits par Apollonius de Tyane, est une pure fable, & que cette sorte d' impostures n' étoit pas encore connue de son tems.

(p) En verba ejus l. c. Ita de priori Dissert. Il faut avouer que le passage est difficile (Joh. VIII. 56.) mais, quoique je ne sois pas tout à fait de son sentiment, j' ai lu ce qu' il en dit avec plaisir. De postiori: Je regarde cette question comme problematique, & quoique j' aye suivi un autre sentiment, je n' ai pas laissé de la lire avec satisfaction.

§ 6. Quæ his argumentis subjungis ORIGENIS & CELSI testimonia ea mihi vix virtute videntur, ut cum illis comparari possint. MOERAGENEM scio in commentariis de APOLLONIO, retulisse, non ignobiles etiam Philosophos præstigiis ejus delusos atque captos esse; nam ORIGENES, quem laudas, ex illis hoc commemorat. (q) Sed quod huic loco respondere possum, hoc est, nihil in eo de figuris telesticis occurrere. Fuerit Magus APOLLONIUS: fuerit versutissimus nebulo: nos an artem statuas averruncas fabricandi studiose tradiderit, ejusque generis monumentis Græciam impleverit, quærimus. CELSUM etiam apud eundem ORIGENEM in artibus Magorum numerare, quod αλεξιφάρμακα depellendis morbis confecerit, non ignoro. (q) At quoniam APOLLONIUM id fecisse, in ejus verbis non invenio, parum iis me commoveri fateor. Tu quidem: *Quumque (CELSUS nimirum) vixerit seculo secundo, notasque habuerit artes Apollonii omnes, videtur easdem recensere apud Origenem.* Verum hanc esse conjecturam, cui tum demum locus esse queat, si præter APOLLONIUM, nec ante CELSUM, nec ejus tempore alios vixisse ejus generis impostores, demonstratum sit, sine me intelligis.

P 5

§. 7.

(q)(q) Vid. Origenes contra Celsum L. VI. p. 299. & 300.

§. 7. Atque hæc quatuor illæ rationes sunt, ut opinor quibus, ut a me dissentires, inductus es. Quibus quidem excussis, reliquum est, ut telum quoddam TUUM contra meam demonstrationem depellam, Silentium ego DAMIDIS, MAXIMI & MOERAGENIS meam confirmare opinionem, monueram: qui, si ejusmodi quid scivissent, non præteriiissent. Duo sunt, quibus hanc argumentationem meam impugnas. Primum hoc: *Sane vero nihil extat horum omnium: neque nostrum est adeo definire, quid sciverint vel ignoverint de prodigiis istis.* Verum est, nihil horum extare: nec tamen temerarium est, ut existimas, quid de his rebus illi habuerint, definire. Vide, ut calculos ponam: Legit hos homines PHILOSTRATUS, quem nihil præteriiisse, quod heroem suum exornare posset, omnes sciunt. Nec dubium est, quin ejus generis facta ad laudem APOLLONII trahere potuerit, ut multi post eum traxerunt. At ignorat ea. Nonne ergo summo jure nihil in illis auctoribus eum reperisse de his rebus, concludere possum? Ex his illud etiam, quod excipere videris, refellitur: *Quia Mæragenes non adulabatur Apollonio, non putabat esse ad eum attendendum Philostratus.* Recte se haberet hæc ratiocinatio, si ad ignominiam APOLLONII augendam monumenta ejusmodi pertinerent. Quæ quum gloriam ejus potius amplificare possent, nihil video, quare non

non PHILOSTRATUS quæ apud MOERAGENEM narrata vidisset, resectis odiosis, in suum opus transferre potuisset. Sed videamus & secundum, quod opponis: *Et prestabat dicere, tres istos nihil omnino consignasse literis, sed figmenta esse omnia & a Philostrato primum exogitata.* Mihi vero, an hoc satius fuerit dicere, dubitare liceat. Qua fronte MOERAGENEM umquam extitisse negarem, quem ORIGENES etiam legit, quamve PHILOSTRATUS non confingere potuit, quoniam reprehendit? Quare MAXIMUM, *Aegiensem*, nihil de eo in litteras retulisse adfirmarem, cujus HIEROCLES quoque meminit? (r) Aut num satis aptum hoc argumentandi genus putas: MAXIMUS confictus scriptor est. Nam PHILOSTRATUS eum de APOLLONIO commentatum esse, retulit? Mihi illud omnium videtur frigidissimum, nec tamen aliud reperire queo. De DAMIDE doctissimos homines ita dudum sensisse novi, PHILOSTRATUM hominis hujus nomen, cujus nihil umquam extiterit, e cerebro suo produxisse. At circumspicienti, quid eos, ut hoc adfirmarent, impulerit, nihil præter hoc sese offert, quod multa eum scriptorem prodigia de APOLLONIO narrasse, PHILOSTRATUS perhibeat. Istis vero

(r) Vid. Eusebii liber contra Hieroclem c. II. p. 429. Quin ipse EUSEBIUS c. III. p. 430. MAXIMI opus lectum esse, non obscure indicat.

vero armis certare non possum, quamdiu innumera mendacia ab innumeris memorie mandata esse constat. A JULIA, SEVERI conjuge, opus hoc se accepisse tradit PHILOSTRATUS, cui alius, familiaris DAMIDIS, illud obtulerit. Jam si PHILOSTRATUM illud e mentito esse dixerō, aut impudentissimum eum fuisse, qui Augustam volumen sibi tradidisse, quod numquam tradiderit, ea nondum defuncta, scribere ausus sit, aut Augustam, ut ejusmodi nomen & opus ex ingenio fingeret, jussisse, mihi dicendum est. At quis ita rerum ignarus est, ut utrumque multas difficultates adjunctas habere, non intelligat? Nugatorem interea & insignis amentiae hominem, qualiscumque fuerit, DAMIDEM istum fuisse, & fateor, & alio loco evidenter, ut opinor, demonstravi. (s)

§. 8. Hæc de primo accusationis TUAE capite sufficiant, *Vir Amplissime*. Ad aliam nunc quaestionem venio paullo spinosiorē. Recte factum putas, quod sub DOMITIANO bis APOLLONIUM Romæ fuisse, docuerim: sed temporum ordinem a me recte dispositum esse, negas. Appono ipsa verba TUA: *Factum hoc conjicit Mosheimius Anno Christi XCII. accusatum autem fuisse anno XCIII. Sed dubium reddit hunc calculum, quod in Apologia*

(s) *Animadversion. SS. & Historico Crit. Lib. I. c. VI. de existimatione Apollonii Tyanaci.*

gia Apollonii L. 8. c. 7. Sect. XI. dicitur, hirtiginta & octo annis non accessisse eum limina imperatorum. Ita recurrimus ad annum Neronis X. quo Apollonius prima vice fuit Romæ. - - -  
 Volebat ergo is Domitiano persuadere, se per hos XVIII. annos, & usque ad Domitiani annum XII. Romam non advenisse, vel ad limen imperatoris. Quod erat ambigue dictum. Sub initium imperii Domitiani erat Nerva adhuc Romæ, sed quia idoneus videbatur, qui imperaret, jubebatur habitare Tarentum. Apollonius igitur, qui bene sperabat de Nerva, forte tunc erat adhuc Romæ, & una cum Nerva discessit. Cumque accusaretur ex urbe in agrum egressus esse noctu ad Nervam, ut eum sacrificio puero erigeret ad spem imperii, in exitium Domitiani: dicendum erit, cadere eam accusationem in annum primum statim Domitiani & Christi XXCI. Diu enim presentem pati Nervam non potuisse Domitianum, nemo dubitat. Ita vero recte respondit per hos XVIII. annos ad limen Imperatoris se non accessisse, Romæ tamen apud Nervam fuisse, sed noctu tunc non egressum in agrum, nec sacrificasse. Quid ad hæc mihi respondendum sit, parum abest, quin reperire nequeam. Licet enim omnes ingenii nervos intenderim, ut mentem TUAM plane adsequerer, meo tamen vitio sine dubio accidit, ut rationum Tuarum momenta haud satis perceperim. Ignosce ergo, Vir Amplissime, si forte non satis dilucide dubia TUA expediturus sum. Id quidem præclare intelligo,

ligo, TE meam computationem improbare, ac in annum DOMITIANI primum accusationem APOLLONII cadere, qui annus Christi est XXCI., contendere. At pondus argumentorum, quae, ut sic sentires, Te coegerunt, non omni ex parte video. Duo sunt, quantum existimare possum, quae meis rationibus obstare censes. Alterum est locus APOLLONII, qui in defensione *triginta & octo annis non accessisse se limina Imperatoris*, perhibet. Alterum, quod probabile sit, DOMITIANVM non anno duodecimo imperii, sed primo statim anno, NERVAM, cui favere dicebatur APOLLONIVS, Tarentum in exilium misisse. De utroque separatim dispiciemus. Locum APOLLONII, quo triginta octo annis se ad limen Imperatorum non accessisse adfirmat, ante omnia aut corruptum esse pronunciandum moneo, aut sic explicandum, ut significare tantum voluerit, se per istud tempus, licet Romam adierit, aulam tamen non visitasse. (t) Nam si per limen Imperatorum Roma intelligatur, APOLLONIVSque triginta octo annis Romae se non fuisse, dicere velit, sive Tua, sive mea, sive OLEARII, sive TILLEMONTII computatio valeat, semper mendax reperietur. Fuit consul TELESINO Romae A. C. LXVI. Ab hujus consulatu usque ad primum DOMITIANI

(t) Qui locum attentius inspiciant, de hac explicatione non dubitare poterunt.

NI annum, quem Tu praefers, quindecim tantum anni numerantur, ad annum duodecimum, quem ego indicavi, viginti septem prope. Nemo unus ita tempora APOLLONII disponere potest, ut triginta octo anni illi emergant. Quare quod jam dixi, aut locus emendandus, aut eo, quem docui, sensu explicandus, aut denique PHILOSTRATVS cum APOLLONIO ad mendaces ablegandi sunt. Vel ex his jam perspicis, quare scripserim, rationum me Tuarum vim non potuisse comprehendere. Vis A. C. LXXXI. APOLLONIVM accusatum esse. Hoc ex eo probas, quod in defensione dicat, triginta & octo annis Roma se abfuisse. Nec tamen negas, decimo Neronis anno illum Romae fuisse. Calculos, si placet, collige, & ab hoc decimo anno non triginta octo, sed septendecim tantum aut octodecim annos, ad A. LXXXI. effluxisse percipies. Vicisses, si ab eo tempore, quo sub NERONE Romae fuit, usque ad annum LXXXI., quo Tu eum captis dixisse causam putas, triginta & octo anni numerarentur. At hoc plane fieri non posse, jam vidimus. Alia sunt adhuc, quae me male habent. Quum ipsemet locum APOLLONII adferas, quo diserte triginta & octo annis limen Imperatoris se non salutasse adseverat, paullo tamen post, & quidem bis, eum DOMITIANO persuadere voluisse, quod XVIII. annis Romam non viderit, commemoras;

moras : nec commemoras modo, verum  
 etiam, quod extra dubium est, huic opinioni  
 novam Tuam computationem imponis. Quid  
 dicam, *Vir Amplissime*? Multum differentiae  
 inter duodeviginti & triginta & octo annos  
 intercedere, nullus ignorat. APOLLONIVM  
 de triginta octo annis loqui, non de duode-  
 viginti, pariter evidens est. Te tamen sen-  
 sisse, duodeviginti eum annos tantum indi-  
 casse, ex eo luculenter patet, quod a deci-  
 mo NERONIS anno ad primum DOMITIA-  
 NI, quem pro anno accusationis APOLLO-  
 NII habes, octodecim fere anni numerentur.  
 Quid dicam, inquam? Te locum corruptum  
 iudicasse, ac pro triginta octo duodeviginti  
 esse legendum putasse? Id vero nulla vocula  
 indicas. Te festinantem fortassis verba non  
 satis attente considerasse? Vix id adfirmare  
 audeo. Tu ipse optimus mentis *Tuae* inter-  
 pres eris, Mihi id tantum adhuc subiungen-  
 dum esse opinor, etiamsi concederem, A-  
 POLLONIVM dixisse, se XVIII. annis Ro-  
 mam non adiisse, Tuam tamen computatio-  
 nem haud salvam fore. Memoria enim Te  
 fefellit, quum scriberes, anno decimo NE-  
 RONIS APOLLONIVM Romae versatum  
 fuisse : a quo XVIII. anni sunt fere ad A.  
 LXXXI. Fuit Romae APOLLONIVS con-  
 sule TELESINO. TELESINVS A.C. LXVI.  
 qui duodecimus NERONIS est, consulatum  
 administravit. At ab anno LXVI. ad A.  
 LXXXI.

LXXXI. quindecim tantum, non duodevigi-  
ginti, anni sunt.

§. 9. Non ergo rebus meis locus APOL-  
LONII, quem laudas, ullo modo, sed Tibi  
potius nocet. De altera ratione restat ut di-  
camus. Probabile esse putas, NERVAM sta-  
tim sub initium imperii a DOMITIANO Ta-  
rentum esse relegatum, quippe quem susce-  
ptum Imperator existimaverit. Quod si ergo,  
ut ex PHILOSTRATO constat, coniuratio-  
nis NERVAE particeps habitus est APPOL-  
LONIVS, accusatio eius ad A. LXXXI. pri-  
mum DOMITIANI, revocanda foret. Non  
est, quod moneam, si haec omnia dubio ca-  
rerent, satius tamen fore, si pro A. LXXXI.  
annus LXXXII. poneretur: Rem ipsam po-  
tius aggrediar. Certum esse censes, NER-  
VAM primo anno DOMITIANI exilio adfe-  
ctum esse. Unde vero hoc factum esse do-  
ces? Non sufficit dicere, *diu Nervam praesen-  
tem non potuisse Domitianum ferre.* Nam id, sta-  
tim NERVAM in suspicionem adfectati im-  
perii incidisse, fundamenti loco habet. Quem-  
admodum vero & hoc planum fiet? Quid  
obstat, quo minus credam ultimis DOMI-  
TIANI annis eum tyranni in se derivasse odi-  
um, non primis? At quid verbis opus? PHI-  
LOSTRATVS non modo huic computationi  
plane repugnat, sed & eruditissimi Viri AN-  
TONIVS PAGIVS & GVIL. LOYDIVS  
non coniecturis, sed argumentis ex TACITO

& PLINIO. A. XCIII. NERVAM in exilium esse missum, demonstrarunt. (u) Meam igitur argumentationem mihi repetere integrum erit: NERVA A. XCIII. exul factus est. NERVAE causa APOLLONIVS in ius vocatus est, teste PHILOSTRATO. Probabile ergo est, accusationem eius A. XCIII. contigisse.

§. 10. Quaestione hac paullo subtiliori explicata, ad ea, quae de HIEROCLE tertio loco mones, progredior. Duo sunt: Primo moleste fers, quod scripserim, OLEARIVM non existimasse, HIEROCLEM Bythinae praesidem fuisse, sed tantum iudicem Nicomediensem & deinde praefectum Alexandrinum. Accipe responsionis loco ipsa OLEARII verba: (x) Nempe Nicomediensis in Bitbynia iudex Hierocles primum extitit, ut ex Lactantio notum, inde praefectus Alexandriae factus. Num quid clarius esse potest? Num perperam adfirmavi, OLEARIVM putasse, HIEROCLEM ex iudice Nicomediensi statim praefectum Alexandrinum factum esse? Sed observavit, inquis, Olearius apud Eusebium exprimit *δικαστηρια τα ανωτατα και καθολα*; & adeo per totam illam provinciam. Observavit, fateor. Sed num hoc errorem viri summi minuit? Auget, nisi me omnia fallunt. Intellexit O-

LEA-

(u) Vid. Anton. Pagi Critica in Baron. ad A. C. XC. n. IV. p. 85. 86. conf. epistol. mea p. II. Not.

(x) Notis ad Eusebium contra Hieroclem p. 432.

LEARIVS ex EVSEBIO, HIEROCLIS auctoritatem omnia provinciae iudicia agnoscere debuisse. Nec tamen praesidem eum fuisse Bythiniae, sed iudicem tantum Nicomediensem fuisse, putavit, quod ex verbis eius liquet. Igitur quum id scriberet, vim vocum EVSEBII non rite perspexit. Reprehendis deinde, quod illum Christianorum hostem, cuius LACTANTIVS in *divinis Institutionibus* meminit, eundem esse cum maximis hominibus VALESIO, BALVZIO, aliisque putaverim, quem HIEROCLEM illum, cuius idem *Libro de mortibus persecutorum* mentionem facit. Incertum enim hoc esse iudicas, quin prope falsum. Qua felicitate hoc ab aliis ostensum sit, nunc non disquiro; rationes tantum Tibi aperiam, quae mihi nihil esse probabilius, quam hoc, persuaserunt. I.) LACTANTIVS illum Christianorum adversarium, cuius nomen in *divinis institutionibus* reticet, e numero fuisse iudicum in Christianos constitutorum tradit. (y) Idem de HIEROCLE in *Libro de mortibus persecut.* perhibet. (z) II.) De illo adversario, eum auctorem in primis faciendae persecutionis fuisse memorat. Pariter de HIEROCLE iisdem prope verbis eum auctorem & consiliarium ad faciendam persecutionem fuisse narrat. (a) III.) Hostem illum, cuius nomen

Q 2

non

(y) Divin. Instit. L. V. c. II. p. 538.

(z) C. XVI. p. 1081.

(a) C. XVI. de mort. pers. p. 1081.

non detegit, Apollonium cum Christo contulisse, refert, in libro suo contra Christianos. (b) Quis HIEROCLEM idem, & quidem solum, fuisse ausum, ignorat? Certe praeter hunc alium extitisse, cui eadem somnia in mentem venerint, nec veterum quisquam tradidit, nec veritati consentaneum esse potest. IV.) Duos tantum adversarios, fervente afflictione, Nicomediae Christianos habuisse, qui libris doctrinam eorum impugnarint, LACTANTIVS auctor est. Alter philosophus fuit: alter iudex. Tertius accedet, si hunc ipsum iudicem HIEROCLEM fuisse neges, isque HIEROCLIS adeo similis, ut corvus corvo similior esse non possit. Si plures extitissent e iudicum numero, qui id laboris suscepissent, quare non indicasset LACTANTIVS? Scire potuit. Silere noluit. Tacendi causas nullas habuit: non tacendi rationes potius erant, quoniam in multorum manibus liber versabatur, auctorque maximae dignitatis erat. Nonne ergo, quum omnia in hunc iudicem egregie praesertim conveniant, quae de HIEROCLE feruntur, eum hunc ipsum fuisse iudicem iure contendere? Ratio, quae Te movet, ut aliter sentias, nulla plane est. Observas ex LACTANTIO, iudicem illum adeo multa capita Scripturae, adeo intima enumerasse, ut aliquando ex Christiana disciplina fuisse videatur.

in

(b) Div. Instit. L. V. c. III. p. 540.

in EVSEBII animadversionibus ad HIEROCLIS librum, subiungis. Et hac quidem de caussa & libros & homines fuisse diversos coniciis. Cederem huic TVAE argumentationi, si EVSEBIVM totum HIEROCLIS librum confutare voluisse constaret. At lege caput primum Libri eius contra HIEROCLEM, & intelliges, eum ex universo opere nihil aliud, quod refelleret, delegisse, quam comparisonem APOLLONII cum Christo, cetera intacta dimisisse. Non dubium est, quin in illis, quae praeteriit, ea fuerint *Scripturae capita enarrata*, quae LACTANTIVS commemorat.

§. II. Venio nunc ad locum ISIDORI PELVSIOTAE, quem meam caussam nullo modo adiuvaré, putas. Ut hic ipsa verba viri repetam, quum in epistola mea extent, haud necessarium est. Summam tamen eorum & quid hujus ope effici posse putem, brevibus indicabo. ISIDORVS sermonibus quibusdam suo tempore natis de arcanae virtutis monumentis ab APOLLONIO positis fidem habere recusat. Huius dubitationis duplicem adfert rationem: I.) Quoniam a nemine ostendi possint haec APOLLONII opera. II.) Quoniam PHILOSTRATVS, accuratus & diligens vitae eius scriptor, una cum reliquis, qui res ab eo gestas enarrarint, nihil earum rerum commemorent. Concludit igitur famam hanc ab inimicis viri, cui

ISIDORVM favisse constat, excitatam esse. Certe multum fallor, aut ex his perspicuum est, vagos fuisse rumores ab obscuris quibusdam hominibus editos, qui tempore ISIDORI de his figuris ferebantur; nec ullum recentiore id sibi sumere posse, puto ut, quod scriptor APOLLONII temporibus vicinus & gravissimus ab eo factum esse negat, tamen ab eo factum esse contendat. Si tum, quum ISIDORVS scriberet, nulla extiterunt tantorum beneficiorum, ab APOLLONIO praestitorum, testimonia, quis dubitet, quae hoc longe iuniores de illis narrant, sine ullis auctoritatibus & argumentis memoriae prodita esse? Quis dubitet, falsa esse, quae de illis ferantur, plane omnia? Nolo latius hanc argumentationem diducere, cuius vim nulli obscuram esse posse, arbitror. Proferam potius, quibus Tu eam enervare conaris. Quae quidem ea mihi prope videntur, ut nec satis sibi constent, nec, meam mentem feriant. *Isidorus, inquis, Apollonium non liberat a suspitione illorum telesmatum: sed urget tantum, non posse illa exhiberi, considerari & inspicere. Erant enim haud dubie defossa multis in locis, neque facile eruenda & examinanda.* Cogita vero, Vir Amplissime, non dicam, quos hic circuitus elegeris, sed, annon, id quod ego contendo, dum destruere studes, confirmes? Negas ISIDORVM a suspitione telesmatum Apollonium liberasse: & ipsemet eum urfisse, ut ea  
exhi.

exhiberentur, fateris. Nonne hoc posterius argumento est, ISIDORVM liberaſſe APOLLONIVM? ISIDORVS nuſquam eiꝰmodi figuras reperiri poſſe, adfirmat; atque haec, praeter ſilentium PHILOSTRATI, ratio eiꝰ eſt, quare APOLLONIVM eas poſuiſſe negat. Non conqueritur profecto, quod abdita lateant haec monumenta, ſed nuſquam terrarum ea exſtare contendit. Et quid? Nonne liberat APOLLONIVM is, qui inimicos eiꝰ invidiae concitandae cauſſa haec confixiſſe putat. Id ipſemet agnoſcis: *Haec, pergis, cum comperta haberet Iſidorus recte reſpondit, ante omnia oſtendi debere locum telesmatum fide dignum.* Quenam, quaero, comperta habuit? Deſoſſa eſſe haec monumenta? Unde illud noſti? Ipſe ISIDORVS nihil eiꝰ generis tradit. Et ubi, ſodes, locum oſtendi vult telesmatum? Ex verbis eiꝰ mihi id haurire non licet. Id intelligo, quod nuſquam ea inveniri putet. *Omiſiſſe autem, recito verba Tua, haec Philoſtratum, qui tamen vitam Apollonii cum cura ſcripſerit. Calumniam ergo eſſe, ab hoſtibus illius concinnatam.* Nescio ſane, quo pacto haec cum iis conciliari poſſint, quae ſuperius ſcripſiſti. Non liberaſſe, inquis, Apollonium a ſuſpicionem telesmatum ISIDORVS. Et hic eum liberaſſe illum fateris. Nam qui aliquid odii cauſſa ab inimicis alicuius confictum eſſe opinatur, is factum illud ab eo eſſe negat. Percurram & breviter reliqua, quibus me oppu-

gnas, verba: *Egregium profecto locum, ait Mosheimius, cuius initia multi arripiant, sed reliqua non considerarint. Inverto totum hoc argumentum. Mosheimius enim videbit hic, Isidorum rem tanti momenti noluisse hactenus approbare, ob silentium Philostrati, qui non expresserit, iis locis defossa esse ab Apollonio telemata.* Quodnam in his verbis meis argumentum, quænam in Tuis argumenti inversio lateat, haud facile dixerim. Id vero aperte perspicio, ISIDORVM quod Tu vis, numquam scripsisse. Negat is averuncas statuas ab APOLLONIO esse positas, quoniam nusquam eius generis aliquid extet, & quoniam Historici eius eiusmodi quid ab eo factum esse, non commemorant. Non vero ideo, quod PHILOSTRATVS loca ubi recondita hæc monumenta sint, non indicaverit. Certe nec ipsas figuras, nec earum locum PHILOSTRATVS novit, sed plane de illis fileat. Et quam frigide, quaeso, ut alia taceam, ISIDORVS disputasset: Nolo credere, APOLLONIVM arcanæ monumenta virtutis posuisse. Nam PHILOSTRATVS loca, ubi defossa sint, non nominavit. Sed subiungam reliqua: *Si omnem fidem historicam ei ademisset Isidorus, respuisset hunc autorem plane, quo non sit ineptior.* Quasi vero vel cogitaverim umquam, ISIDORVM omnem PHILOSTRATO fidem denegasse. Contrarium volo, ideoque ISIDORVM admittere noluisse figuras APOLLONII contendo, quoniam fidem

dem PHILOSTRATO habuerit. Perit igitur etiam alterum Mosheimii argumentum, non confecisse Apollonium imagines telesticas, nec alia admiranda Antiochiae & Byzantii, ob idem silentium Philostrati. Totam is enim eius enarrationem explodit, ut Apollonio servetur fama viri boni. Si haec omnia essent verissima, argumentum tamen meum a silentio PHILOSTRATI fortissimum foret. Praeterit me plane vis huius connexi: Perit argumentum a silentio PHILOSTRATI. Nam ISIDORUS narrationes eius explodit. Sed, si quid iudicare possum, hic nihil est, quod ulla ratione sustentare possit. Falsum est, ISIDORVM PHILOSTRATI enarrationem explodere. Silentio eius utitur ad destruendam fabulam de figuris APOLLONII telesticis. Et qua ratione hic dicere potes, ISIDORVM PHILOSTRATI enarrationem explodere, qui paullo ante scripseras, eum PHILOSTRATO fidem non ademisse? Qui potes concedere, PHILOSTRATVM ab ISIDORO reiectum esse, ut viri boni fama APOLLONIO servaretur, qui ISIDORVM a suspitione telesmatum hunc liberasse negas? Aut ego, quid velis, prorsus non capio, aut mira est in iis, quae de hoc ISIDORI loco disputas, pugna & confusio. Concludis: Ipse autem Isidorus scripsit librum, qui non extat, adversus gentiles, quod omnes illorum divinationes sint nugae. Itaque & telesmata Apollonii damnavit eo modo, sicut

Q5

sicut Origenes. Neque hic, quid demonstrare velis, intelligo. Scripsit librum ISIDORVS contra *μαρτυριον*: Igitur APOLLONII telesmata damnavit. Nonne vero, an is fecerit telesmata, primo quaeritur? Nonne eum telesmata collocasse, ISIDORVS aperte negat? Qui ergo eius statuas damnare potest? Et ubi, quaeso, ORIGENES APOLLONII telesmata damnavit? Ego profecto nescio. Sufficiant haec de iis, quae circa locum ISIDORI monuisti. In quibus si minus dextre mentem Tuam cepi, ingenii mei imbecillitati veniam dabis.

§. 12. Jam nova in me tela torques & ORIGENIS, PORPHYRIIque loca meis rationibus obstare mones. Quorum ille *Lib. 4. contra Celsum* de divinatione ex avibus verba faciat, quam APOLLONIVM percalluisse PHILOSTRATVS referat; hic *de abstin. lib. 3. §. 3.* adfirmasse APOLLONIVM, se hircinam garrientem audivisse, tradat. Sed quemadmodum his testimoniis refelli queam, prorsus ignoro. ORIGENES *Libro quarto* ne vocula quidem APOLLONII meminit. Quod de divinatione ex avibus contra CELSUM agit, ad me minime omnium pertinet. PORPHYRIUS an APOLLONII mentionem indicato loco faciat, nunc, quum libro eius caream, certo scire nequeo. Credo tamen Tibi, rem ita se habere: concedam etiam, quod secus tamen est. ORIGENEM harum  
in-

ineptiarum meminisse. Sed quid iam damni  
 capiet sententia mea? Aut omnis me ratio fu-  
 git, aut nihil. APOLLONIVS dixit, teste  
 PORPHYRIO, PHILOSTRATO, ORIGE-  
 NE, se avium sermonem intelligere & quid  
 hirundo aviculis significaverit, percepisse.  
 Ergo figuras innumeras telesticas fecit: Er-  
 go Byzantii & Antiochiae arcanae virtutis  
 monumenta posuit. Iniquissimus rerum Tua-  
 rum existimator essem, si hoc ratiocinationis  
 genus Tibi se probare posse, mihi persuade-  
 rem. Verum cum ex initio, tum ex fine hu-  
 ius demonstrationis Tuae Te, quid vere sen-  
 tiam, oblitum esse, evidens est. Initium hoc  
 est: *Demonstrasse autem opinabatur Mosheimius,*  
*usque ad tertium saeculum, quo vixit Philostratus*  
*sub Severo, nihil extare apud veteres contra Apol-*  
*lonium.* Quam ab hac sententia alienus sim,  
*Observationum mearum Sacrarum & Historico-*  
*Criticarum Libri I, cap. VI. quod est, de existima-*  
*tione APOLLONII, & ipsa de figuris telesticis*  
*epistola luculenter docent.* Id tantum con-  
 tendi, ante tertium, imo quartum saeculum,  
 figurarum telesticarum ab APOLLONIO  
 tanto numero profectarum nullum vestigium  
 occurrere. At tu me defensorem APOL-  
 LONII existimare videris, cuius patrocinium  
 & semper recusavi & recusabo. Ultima Tua  
 verba haec sunt: *Apollonium ergo docuere dae-*  
*mones omnia illa magica Philostrati, quae Moshei-*  
*mius habet pro fabulis.* Ego vero magica, quae  
 PHI-

PHILOSTRATVS narrat, nec in fabulis, nec in Historiis numeravi, sed de *telesicis* tantum figuris, ea, qua dixi, ratione egi. Porro, si vera essent, quae ex PHILOSTRATO audio, num a daemonibus spurcus homo ea accepisset, nescirem. Dubito etiam, an Tu, qui malos genios magistros eius fuisse adfirmas, certiora, quam ego, proferre possis. Sed, quaeso Te: Num censēs, APOLLONIVM hirundinum linguam sese intelligere perhibentem vera narrasse? Num has aves sermonis quodam genere uti putas? Si putas, tot fere adversarios habebis, quot hodie sapientes. Si non putas, quo pacto ex hac eius gloriatione probetur, Magum eum fuisse a geniis malignis eruditum, me plane praeterit?

§. 13. Pari plane virtute praedita esse opinor, quae de testimoniis EVSEBII ex libro contra HIEROCLEM & *Autoris Quaestionum & responsionum ad orthodoxos*, quem IUSTINVM quidam esse volunt, disputas. EVSEBIVS extitisse quosdam suo aevo, qui se magicas machinas huius viri reperisse perhibuerint, memorat: at se parum hos rumores curare subiungit. (c) Ex his ego verbis EVSEBII tempore tenues sermones de his monumentis primum natos esse, probavi. Quod tum primum nati fuerint, tum omnium superiorum ignorantio harum rerum, tum ipsa EVSEBII verba indicant, qui reperta suo demum aevo

(c) Vid. epistol. meam p. 19. ubi verba EVSEBII.

aevo haec monumenta esse tradit. Nam  
 certe quod obscurum antea fuerat, antequam  
 erueretur, illustre & notum esse non potuit.  
 Quod tenuous fuerint, facile hinc perspicitur,  
 quod EVSEBIUS de iis, tamquam de fabula  
 quadam vulgi, loquitur, cui discutiendae  
 temporis nonnihil impendere, non opus sit.  
*Tenuis mihi rumor* dicitur incertis auctoribus  
 natus nec rerum documentis confirmatus.  
*At vero*, sic Tu respondes, *is non est rumor te-*  
*nuis, si qui affirmant, sese deprehendisse ac reperisse*  
*etiam hodie machinas similes, easque posse ostendi.*  
 Quid dicam? *Vir Amplissime!* Idne a me po-  
 stulas, ut nullum rumorem tenuem ac fallum  
 esse credam, si qui adsint, qui se aliquid vi-  
 disse testentur? Absit a me, ut hanc Tibi  
 mentem esse putem, cui omnis adversatur  
 experientia? Quis hominum ignorat temeri-  
 tatem, quando e re sua esse putant, ut orbi  
 terrarum hoc vel illud persuadeatur? Quod  
 addis, dixisse illos homines, *ostendi posse ista*  
*monumenta, id sine dubio de Tuo adiectum*  
*est: nam apud EVSEBIUM illud non reperio.*  
 Fac vero, non tenuem fuisse rumorem, fac  
 digitis demonstrasse homines opera, quae A-  
 POLLONII esse dixerint, num idcirco caussa  
 cecidi? Minime profecto. Quaeritur iam an  
 homines illi vera dixerint, aut mentiti sint?  
 quaeritur, an APOLLONIVS falso dictus  
 fuerit, aut vere parens earum rerum extite-  
 rit? Me quidem silentium PHILOSTRATI,  
 tot-

totque aliorum, ratioque temporum, quibus vivebant, facile tum inducerent, ut homines illos, quo aut invidiam, aut existimationem APOLLONIO excitarent, falso ei tribuisse, quae aliorum fuerint, crederem. Sed audiamus & reliqua Tua: *Et quanquam Eusebius ibi bis non immoretur, fecit id tamen de praeparat. Euang. L. 5. c. 7. ubi disputat non modo contra Porphyrium, sed & ipsum Apollonium.* Quod pace Tua dixerim, doctissime WAECHTLERE, in toto hoc EVSEBII opere ne Syllaba quidem de his APOLLONII operibus extat, licet non ignorem librum eius *de sacrificiis* ibi laudari. Nihil etiam loco *Auctoris questionum ad orthodoxos* in hac caussa efficitur. (d) Quaerit is, cuinam caussaetribuendum sit, quod opera ab APOLLONIO collocata tantum in depellendis malis valeant? *Uti que probat, inquis, locus hic Apollonii telesmata adhuc illo seculo dubitationem non contemnendam inieciisse Christianis.* Recte quidem ex parte. Nec enim ullo modo negavi, quod ex hisce verbis fuit, tum sermones de eiusmodi monumentis inter Christianos disseminatos esse. At praeter hoc nihil locus hicce probat, nec adeo caussae meae officit. Incertum enim primo est, an omnino eiusmodi figurae extiterint, qualia hic scriptor extitisse fingit. Cur non potius ISIDORO PELUSIOTAE credam, qui usquam terrarum eiusmodi statuas ostendi posse negat,

(d) Vid. verba in epistola mea p. 22.

negat, quam huic homini, cuius aetatem nescio, quemve illo recentiore esse scio? Quoniam etiam pacto ab animo meo impetravero, ut, si talia extitissent monumenta, effectus istos quos memorat, ea produxisse sibi persuadeat? Centies licet dicat bonus ille vir, se, quod hae statuae murium & bestiarum incursiones prohibuerint, impetumque ventorum & maris sedaverint, oculis suis vidisse, quod tamen non dicit, mihi tamen id ipsum, quod refert, iusta satis de auctoritate eius dubitandi causa videbitur. Deinde, si concederem, monstrasse homines talium statuarum vestigia, nova orietur quaestio: An ab APOLLONIO profectae fuerint? aut potius more hominum ob celebritatem nominis isti adscriptae fuerint? Quam quidem fictus ille JUSTINVS numquam nobis solvet, nostrae tamen rationes facile sic expedient, ut posterius priori longe verisimilius videatur. Omissem paene, quod ex eodem auctore obiicis de statua APOLLONII, quae responsa initio dederit, sed deinceps obmutuerit. Non ignoro haec apud eum legi, qui alias uberius, quid de illis sentiam, exposui. Neque etiam, licet possem, ea nunc in dubium vocare placet, quae praeter hunc recentiore nemo unus memoriae prodidit. Id vero nullo modo me consequi fateor, quo pacto huius operae narrationis defendi possit. APOLLONIVM & ore & factis artem monumenta telestica fabri-

fabricandi in Graecia in primis docuisse: Fuisse, teste ATHENAGORA (e) Troade statua Nerillyni, Parii statuae Alexandri & PEREGRINI, quae consulentibus responderunt. Anne ergo & NERYLLINVS & ALEXANDER & PEREGRINVS idcirco praecipui artis telesticae magistri inter Graecos extiterunt?

§. 14. Postremo iniuste erroris a me postulatum esse, incomparabilem OLEARIVM existimas, quando THONIM, cuius HOMERVS meminit, ab eo in numerum discipulorum APOLLONII male relatum esse scripserim. Id enim ab eo factum esse negas. Neque vero, inquis, asseverabat hoc D. Olearius, Forte inquit & ni tamen. Utique etiam occurrit ibi (apud LVCIANVM) discipulus aliquis Apollonii, medicus scilicet & praeceptor Alexandri, sed anonymus. Summa sine dubio erga tantum virum voluntas Tua, quam ego laudandam puto, obstitit, quominus eum hic minime excusari posse intelligeres. Ipse interea causam meam agat vir eximius, ac nullam a me sibi iniuriam esse factam, testetur. PHILOSTRATVS, quum in Graecia versaretur APOLLONIVS, DIOSCORIDES & PHAEDIMVM eum iam sequutos esse narrat. (f) Ad haec verba OLEARIVS ita: Forte autem in illa ὁμιλία, ut loquitur paullo post PHILOSTRATVS.

(e) Legatione pro Christian. c. XXIII. p. 107.

(f) Vit. Apoll. L. IV. c. XI. p. 148.

*STRATVS*, Quos quoque mentio erat facienda, *Aegyptii*, quem inter *Apollonii* discipulos refert *Lucian.* in *Pseudomant.* p. 663. Nisi tamen eum ille in *Aegypto* demum sequi cepit. Jam vide, quaelo, num voces forte, & ni tamen quicquam virum doctissimum iuvent. Certe non dubitat, an in discipulis *APOLLONII THONIS* fuerit, quod ex *LVCIANO* patere arbitratur. Sed de hoc sibi non constare ait, an iam in *Graecia*, an vero postea in *Aegypto* demum, eius sese disciplinae tradiderit. Ad tempus, non ad rem ipsam voces illae forte, ni tamen, pertinent.

§. 15. Nullum igitur mihi dubium est, *Vir Amplissime*, quin ita mentem meam declaraverim, ita motis a Te dubiis satisfecerim, ut lis nostra componi, sententiaeque coniungi possint. Nugae sunt recentiorum *Graecorum*, quae de hisce rebus commemorantur, nec ullo antiquioris scriptoris testimonio probari queunt. Quos quidem *Graecos* tam vesano erga *Astrologiam* studio captos fuisse non ignoras, ut vix ullum in universa *Graecia* aedificium, columna aut monumentum extiterit, quod non arcana quadam virtute praeditum & ad regulas scientiae illius conditum existimaverint. Quid mirum tanta vanitate homines hic etiam fingendi libidinem, qua flagrabant, exercuisse? Licet vero sic satis defensam esse meam putem epistolam, veritatis tamen amor, alium eius errorem, a Te

Class. V. Fasc. II.

R

non

non animadversum, hac occasione data corrigere, iubet. Scripsi, AVRELIANO fasces imperii tenente, STESICHORVM quemdam de rebus ab *Apollonio* gestis scripsisse. (g) Sed memoriae vitio duplex hoc pacto peccatum admissi. SOTERICVM debui dicere, pro STESICHORO: quem SVIDAS non sub AVRELIANO, sed sub DIOCLETIANO vixisse perhibet. Hanc ipsam ceterum controversiam, *Vir Eruditissime*, & defensionem meam non modo non animum TVVM minime offensuram, verum etiam, qua comitate es, ad amicitiam & benevolentiam TVAM aditum mihi patefacturam, & spero, & confido. Ego quidem, etsi suo loco meam adhuc starententiam censeo, publice tamen TIBI gratias ago, quod mihi Tecum differendi materiam suppeditare volueris. A Te vicissim exspecto, ut aequo animo responsionem ab homine aequitatis & pacis, si quis alius, studiosissimo, excipias. Et quidni illud a Te exspectem, qui, quam eximia sit modestia, abunde eo demonstrasti, quod sub finem epistolae Illustris MENCKENIVM ad egregia ISIDORI PELUSIOTAE verba quaedam, animi TVI videlicet interpretes, respicere iubet. Quae quidem digna puto, quibus & meam epistolam claudam, animique indolem exprimam. *Ιωσ γαρ*, ita Graecorum doctorum profecto doctissimus, (h) *ει κει εν τω πλεον*

(g) p. 13.

(h) Epistolar. Lib. IV. ep. LX. p. 446. ed. Paris.

Ἐκτιθέται, ἐν αἰδοῖς πλεονεκτησι, καὶ πινά ενοήσαν, ὡν αὐτὸς ἄδ' εἰς ἐννοίαν ἀφικομέν. Fortassis enim, quamvis hac in re superentur a me, in aliis tamen me longe superant, & aliqua intellexerunt, quorum ego cognitionem non sum assequutus. Ita vale, vir praestantissime, communi meliorum litterarum & iurisprudentiae bono, mihi que fave. Kiliae Holsat. Idib. Jul. M D CC XXI.



IV.

HADRIANI RELANDI  
DE  
BARBARIS & SCYTHIS,  
*ad locum Coloss. III: II.*

Ἄπαν ἐκ ἐνὶ Ἑλλήν καὶ Ἰουδαῖοι, περὶ τὴν καὶ ἀκρο-  
βυστία, ΒΑΡΒΑΡΟΣ, ΣΚΥΘΗΣ, δὲ-  
λαοί, ἐλεύθεροι.

DISSERTATIO. (a)

ARGUMENTUM.

Omnes nationes distinguebantur in *Graecos & Barbaros*. Judaei se ipsos a *Barbaris* distinguebant. Et

R 2 ipsos

(a) Haec non diu ante peracerbum hujus Viri obitum sub forma dissertationis Academicæ a. d. XV. Dec. a. 1717. prodiit. Confestim autem ejus exemplaria ita evanuerunt, ut non sine summo labore vel

ipfos Graecos accensebant Barbaris §. 1. Scythae quoque inter Barbaros §. 2. An in hoc loco hi inter se opponantur. Cur omittatur particula *κα* §. 3. Eleganter id fit per *αὐνοδερον* §. 4. Distinguantur Barbari a Scythis (*α*) quod hi essent numerosissimi §. 5. (*β*) Quod extra imperium Romanum sint. §. 6. Quod (*γ*) parum crederentur habere humanitatis. §. 7. Syriaca versio confertur. Aromaei vocantur *ελληες*. Regio *Rum*. §. 8. *Roumi* & *Jounani*. §. 9. Epiphanii versio. §. 10.

§. 1.

**V**eteres Graecos universi orbis terrarum incolas in *ελληες* & *βαρβαρες* distinxisse, ita ut quicumque Graecus non erat, barbarus nuncuparetur, notissimum est; quare id confirmatum non imus. Judaei Graeco sermone scribentes & ipsi hanc consuetudinem secuti sunt, sic ut frequenter in illorum scriptis *ελληες* & *βαρβαροι* opponantur; sed in eo a Graecis rece-

de-  
vel unius potuerim fieri compos. Quamobrem haud invitis lectoribus eam heic legi posse confido. Respondentis tum partes in se suscepit Hieronymus van ALPHEN, H. F. Τε Παρθος το παρθος, cujus elegans dissertatio de *Sacerdote Castrensi Veterum Hebraeorum* ad locum Deut. XX: 1. ante biennium in Academia Ultrajectina ventilata, spem haud vanam nobis excitavit, imposterum praeclara omnia ab eo expectari posse. Potest interea conferri Henr. Trierenbergii de *oppositione Barbarorum & Scytharum Apostolica ex Col. III: 11.* diff. quae Wittenbergae a. 1676. in 4. prodiit, T. d. H.

debant, quod se ipsos *barbarorum* nomine a Græcis distingui nollent, sed uti Ἕλληνες oppositi erant τοῖς βαρβάροις, ita & se ipsos unacum Græcis distinxerunt a barbaris. Indignum rebatur gens ab ipso Deo prælata reliquis, & secreta ab omnibus populis, quos Sol videt, barbaris nationibus adnumerari, & Græcis par non esse. Atque ita jus suum sibi a Græcis ereptum recuperare, & a contemptu quo Gentes reliquæ eos prosequabantur se vindicare, aliquo modo visa est. Qua propter, uti & in hoc ipso loco Apostoli, apud Josephum & Philonem legas Judæos & Græcos a barbaris distingui. Josephus lib. VI. de bello cap. 1. de altari hæc habet. Ταῦτά γάρ ἐστι τῶν ὀργάνων βέλη μέγαρα ἔρωμα καὶ ἔρωμα διὰ τὴν βίαν ὑπερφερόμενα τοῖς τε ἱερεῦσι καὶ τοῖς ἱεραρχαῖσι ἐπέπιπτε. καὶ πολλοὶ σπείσαντες ἐπὶ τῆς περὶ τὸν δῶνυμον καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις χώρον ἁγίον πρὸς τὸ θυμάτων ἔπεσον αὐτοὶ, καὶ τοῖς Ἕλλησι πᾶσι καὶ βαρβάροις σεβάσιμον βῶμον κατέσπασαν ἰδίῳ φόνῳ.

*Ab machinis missilia jacta, usque ad altare & eadem sacram vi perlata, in sacerdotes & alios ministros cultus divini incidebant. Multi etiam, qui ab ultimis terrarum finibus ad celebratum hunc & sanctum omnibus hominibus locum venerant, ante victimas procubuerunt ipsi, & propria cade imbuerunt altare venerandum cunctis Græcis ac barbaris.*

Idem in libr. 1. contra Apionem. Δεῖ δ' ἀρεθὴ καὶ τῶν ἀπιστῶν τῶν ἐν τοῖς ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ ἀναγεγραφαῖς, μόνοις δὲ ἝΛΛΗΣΙ πιστεύειν ἀξίῶντων, ἀπὸ πάντων

πληρῶσαι τὴν ἐπιζήτησιν, καὶ παραχρῆν πολλὰς καὶ  
 τῶν ἐπισημάνων τὸ ΕΘΝΟΣ ΗΜΩΝ, καὶ καθ'  
 ὃ καιρὸς ἦν αὐτοῖς μνημονεύοντας παραθέσθαι ἐν  
 ἰδίοις αὐτῶν συγγράμμασιν. *Convenit autem il-*  
*lorum quoque desiderio satisfacere qui scriptis bar-*  
*barorum, (id est, Aegyptiorum, Chaldaeorum &c.)*  
*fidem non habentes, solis Graecis credendum autu-*  
*mant, atque adeo multos proferre, qui Gentis no-*  
*strae haud ignari memoriam ejus libris suis, quum*  
*occafio dabatur, inseruerunt.* Secreverat jam  
 antea Judaeos a Phoenicibus, quum vulgo  
 Gentes illos Φοινίκων & Σύρων nomine compre-  
 henderent. Ἐῷ γὰρ νῦν ἡμᾶς ἐκείνοις (Φοίνιξιν)  
 συγκαταλέγειν, desino nunc nos illis (Phoenicibus  
 videlicet) adnumerare, scripserat initio libri  
 prioris contra Apionem. Et in fine libri po-  
 sterioris Judaeos ab Graecis & barbaris ita di-  
 stinguat: οὐδ' ἐστὶν ἑ πόλις ἙΛΛΗΝΩΝ ἔδηπσεν  
 ἑδὲ ΒΑΡΒΑΡΟΣ, ἑδὲ ἐν ἔθνεσσιν ἔθνα μὴ τὸ τῆς ἑβδο-  
 μῆδος ἦν ἀργῆμεν ἩΜΕΙΣ, τὸ ἔθνος ἑ διαπεφοί-  
 τηκεν. *Nec ulla civitas est aut Graecorum aut bar-*  
*barorum, nec vel una gens, in qua diei septimi,*  
*quo nos quiescimus, consuetudo non percrebuerit.*  
 Philonem addimus, cujus in libro de Cherubi-  
 nis haec verba sunt: ἴθι γὰρ εἰ θελεῖς συνεπισκε-  
 ψασθαι τὰς αἰοιδίμους πανηγύρεις ἡμῶν. Ὅσαι μὲν  
 δὴ κατ' ἔθνη βαρβαρικά τε καὶ Ἑλληνικά ἐκ μυθικῶν  
 πλασμαίων συνέστησαν ἄλλαι παρ' ἄλλοις κενὸν πύφον  
 ἔχουσαι τὸ πέλασ, ἀφείδωσαν. *Age contemplare,*  
*si lubet, solennitates nostras celeberrimas. Quot-*  
*quot autem aliae apud Gentes tum barbaras tum*  
 Gra-

Græcos ex fabulosis commentis originem habent & nullum finem, nisi vanam ostentationem, omittantur. (b) Ex his satis opinor liquere, qua ratione scriptores Judæi, valere jussa veterum Græcorum distinctione hominum in Grajos & barbaros, suam gentem a barbaris æque ac Græcis distinxerint. Quod tamen non effecit ut a Romanis aut Græcis desinerent barbaris adnumerari, præcipue extincta haud ita diu postquam Romanis innotuerant Hebræorum republica, quando ne gentis quidem nomen fere merebantur. Hæc sufficiunt, ut intelligatur quo modo βάρβαροι in scriptis Apostolorum, & hoc ipso loco, a Judæis & Græcis distinguantur: quamvis exempla non desint in scriptis Judæorum, quæ ostendunt nomen barbarorum ipsis Græcis ab iis datum fuisse; quando videlicet Græci nimium graves iis erant, extorquente hoc nomen sensu vel memoria jugi ipsis impositi & tyrannidis: quod ceteroquin ipsis dare non solebant. Ita lib. 2. Chasmonæorum, cap. 10: 4. leguntur Deum rogasse μή βλασφήμοις καὶ βαρβάροις ἔσθεσι πιστεύειν, ne eos, si peccarent, blasphemis & barbaris gentibus subjiceret, sine dubio ac Macedonici sive Syriaci imperii jugum respicientes.

R 4

Quod

(b) Iterum id fit à Philone L.II. de vita Moïsis p. m. 656.

Τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα, καὶ βαρβαρονι ὡς ἔπος εἶπεν, οὐδεμία πόλις ἐστίν. Neque in Graecia, neque in Barbaria, ut vulgo dicitur, i. e. nusquam, urbs aliqua est. &c. T. d. H.

Quod confirmatur ex 2. *Chasmon.* 2:22. ubi  
 βάρβαροι πλήθη dicuntur copiae Syrorum, id  
 est, Græcorum, uti Judæi loquuntur, quibus  
 reges Syriae ׀ ׀ ׀ reges Græci audiunt.

§. 2. De SCYTHIS autem, quos Aposto-  
 lus heic a barbaris distinguit, quid dicendum  
 est? Constat enim vero *Scythes* non minus ac  
 alias gentes, quæ Græcæ non essent, *barba-*  
*ros* dici. Κάλει μοι τές μάρτυρας, dicit aliquis  
 veteri formula. En Isocratem in Panegyri-  
 co. Δοκεῖ δέ μοι καὶ περὶ τῶν πρότερον τῶν πόλεων  
 τές βαρβάρους τῇ πόλει πεπραγμένων προσήκειν εἰ-  
 πέν, videtur mihi prius de iis quæ urbs nostra con-  
 tra barbaros præstitit, dicendum. Quinam illi?  
 Mox indicat, ἀρχαιώτατα τῶν ἐθνῶν καὶ μέγισταις  
 δυνατείαις ἔχοντα, ΣΚΥΘΑΙ, καὶ Θράκες καὶ Πέρσαι,  
 Gentes primariæ ἃ̄ maximos principatus habentes,  
 Scythe, Thraces ἃ̄ Persæ. Demosthenes, quod  
 esse Scythes diceretur, ea de causa barbarus  
 nuncupatus est, quo quid est evidentius quam  
 Scythes barbarorum nomine fuisse compre-  
 hensos? Aeschines oratione contra Ctesiphontem,  
 καὶ ἀπὸ τῆς μητρὸς ΣΚΥΘΗΣ, ΒΑΡΒΑ-  
 ΡΟΣ, Ἑλληνίζων τῇ φωνῇ, quod ad maternum ge-  
 nus attinet (Demosthenes) Scythes, barbarus, est,  
 Græco sermone utens. Themistius oratione XI  
 pag. 148. edit. nuper. Διὰ τὴν Σκύθαις μὲν ξυγ-  
 χωρεῖ τὴν εἰρήνην, Περσῶν δὲ ἀφαιρεῖται; Βάρβαροι  
 μὲν γὰρ τὰ φύλα ἄμφω. Quam ob rem Scythis  
 quidem pacem concedit, Persis autem non: quam-  
 vis utraq; gens sit barbara? Lucianus in Scy-  
 tha

tha μόνος Βαρβάρων Ἀνάχαρσις, *solus ex barbaris Anacharsis.* At quis ignorat Scytham Anacharsin fuisse? Mox ibidem καὶ ἔτι Βάρβαρος ὁ Τοξάρις, *barbarus ille Toxaris.* Ipse gentiles suos Toxaris barbaros vocat apud eundem Lucianum in Toxari. ἡμεῖς οἱ Βαρβάρους ἐγγνωμονέστερον ὑμῶν πρὸς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν κρινόμεν, *nos barbari equo magis animo ac vos de viris bonis judicamus.* Medea, Σκυθῆς & ipsa, *barbara* passim audit apud Poëtas. Ovidius in epistola Hypsipyles.

*Argolicas timui. Nocuit mihi Barbara pellex.*  
Valerius Flaccus Argonauticōn lib. VIII. v. 148.

Quis locus Inachias inter tibi, *barbara, natus?* (c)

§. 3. Quum ergo Scythæ ipsi barbari fuerint appellati, quomodo Scythen & barbarum opponit Apostolus, uti Judæum & Græcum, servum ac liberum; quæ non modo diversa sunt sed contraria? Ut hæc planiora evadant puto prius esse disquirendum, an eodem modo heic loci opponantur sibi mutuo Scythes & barbarus ac Judæus & Græcus, aut servus & liber. Prima fronte id quidem ita videtur, quum in quatuor partes videantur hæc dividi oportere, sic ut primam constituent Judæus & Græcus, alteram circumcisi & non circumcisi, tertiam Scythæ & barbari, quartam denique liberi & servi. Verum nihil est quod nos credere jubeat eodem modo hæc quatuor, aut tria verius (quoniam circumcisi

R 5 & in-

(c) Confer Diss. sequentis §. 4.

& incircumcisi notare videntur illos quos Judæos & Græcos appellaverat) se habere ad se invicem, & oppositionem vocum manifestam esse quaerendam. Absentia particulæ καὶ, quæ inter βάρβαροι, Σκύθης, non interjecta est, suspicari ferme facit, non innui oppositionem inter Scythas & barbaros. Non enim sine causa hic illa omissa est. Si par fuisset in omnibus oppositio, βάρβαροι καὶ Σκύθης, uti Ἕλλην καὶ Ἰσραήλιος, πειλομένη καὶ ἀκροβυστία, scripsisse potuisset apostolus? Quum ergo stylum variet, aliquid subesse videtur. Alia memoraturus erat, sive opposita sive non, distincta enim vero, quæ tamen respectu Christi idem forent, sive quis sit barbarus, sive Scythes, sive servus, sive liber, nullo discrimine haberetur: quæ & ipsa 1. Cor. 12. 13. & Gal. 3. 28. fere iisdem verbis leguntur, barbarorum tamen & Scytharum mentione neglecta, qui hic inseruntur. Ea enim libertate Spiritus Sanctus uti solet, ut se non adstringat iisdem vocibus, sed rem designans modo has modo alias, vel diversum ordinem, usurpet. Non est quod quis dicat, in quibusdam codicibus καὶ inveniri inter barbarus & Scythes, adeoque idem esse oppositionis genus, quæ inter Judæum & Græcum est. Secundum canones enim Criticos probabile est eos codices, in quibus καὶ deest, præferri oportere. Si enim librarii καὶ invenissent in codice, quem describebant, id est, si apostolus

lus ipse ita scripsisset, non est ratio quam ob rem librarius in vocibus posterioribus non æque, καὶ retinisset ac in prioribus. Uti enim illi sæpe sua ignorantia permoti, quod aliquid insueti eos offenderet, mutationem in libros describendos induxerunt, & notiora pro ignotioribus, facilia intellectu pro difficilibus, substituerunt, ita credibile est quosdam, quum putarent eandem esse rationem barbari & Scythæ, quæ est Judæi & Græci, ubique illud καὶ interferuisse.

§. 4. Omissio particulæ καὶ in posterioribus membris hujus commatis aliquid etiam ad elegantiam sententiæ & ornatum sermonis facere videtur, quando συναθροισμὸς hic est, & non proluxa repetitione personarum diversæ conditionis lector offendi ulla ratione potest; sed primum quidem Ἑλλήν καὶ Ἰουδαῖον, περιτομή καὶ ἀκροβυστία, proponitur, deinde variato genere coacervatim junguntur Βάρβαρον, Σκύθησ, δ᾿ ἄλλοι, ἐλεύθερον. Finge ita orationem institui; sive quis Græcus sit sive Judæus, circumcisus sive non circumcisus, barbarus, Scythæ, servus, liber, quiscunque tandem, omnes eodem numero habentur. Nascitur videlicet ex ea vocum dispositione quæ in βάρβαρος, Σκύθησ, δ᾿ ἄλλοι, ἐλεύθερον cernitur, schema illud Rhetoricum, quod αἰσύνδειον Græci vocant, *solutum* Aquilæ Romano dictum in libro *de figuris sententiarum*, quando conjunctiones aut præpositiones, quibus verba aut nomina

connectuntur, absunt. Julius Rufinianus de schematis lexeos pag. 32. duas hujus figuræ species facit: quarum una est quæ per singula verba fit, uti apud Virgilium, *Aeneid.* xi. 329.

... nos aera, manus, navalia, demus.

Sexcenta hujus rei exempla sunt in orationibus Ciceronis, quem præ aliis delectatum frequentia asyndetorum, quæ δεινότητι sermoni addunt, ipsi quoque veteres notarunt. Donatus lib. de schematibus ασύνδετον idem esse quod διάλυτον scribit, de quo Demetrius Phalereus, lib. περὶ ἑρμηνείας §. 64. 283. & alii rhetores consuli queunt, qui ostendunt τῆ ἐξαιρέσει τῆ καὶ συνδέσει, ablatione particule καὶ, quæ conjunctio est, sæpe elegantiosem fieri orationem. Quapropter videas, quum plura enumerantur, aliquando priora per copulam conjungi, reliqua vero non, a scriptoribus profanis, qui pro re nata πολυσύνδετον aut ασύνδετον adhibent; nonnunquam & voces sine copula aliquas usurpant, mox alias omnino copulant, rursus postremis copulam auferunt. Ipse non idem ubique servatus tenor, & mixtura diversæ dispositionis vocum ornatum parit, grataque varietate delectat.

§. 5. Oppositio itaque nulla est inter barbarum & Scytham: distinctio tamen. Difficultas ergo imminuta quidem, sed non penitus sublata est. Si Scythæ barbari fuerint, qua ratione a barbaris distinguuntur? Non dicam barbarorum nomine solos Persas aliquando

quando intelligi: id enim ad illa tempora spectat, quando Græcis præcipue res erat cum Persis. Huc illud nihil facit. Sed ad varia puto attendendum esse, in quibus Scythæ a reliquis barbaris erant diversi. *Primo* numerosissima gens erat, quæ non, uti reliqui barbari Græcis & Romanis noti, exiguis terrarum spatiis continebatur, sed sola quasi par ceteris barbaris illis censeripotuit, latissime diffusa per ingentia terrarum spatia, quæ nunc septentrionalis tractus Asiæ atque Europæ audiunt. (d) τὰ πρὸς βορρᾶν μέγη τὰ γνώ-  
 εσμα ἐνὶ ὀνόματι Σκυθῶν ἐκάλειν. *Regiones septentrionales notas uno Scytharum nomine dixerunt veteres*, uti Strabo scribit lib. 1. Alexander Macedo, qui orbem terrarum victoriis peragra-  
 se censebatur, in omni itinere, quod instituit ad sinistram gentes Scythicas habuit. Quapropter magnum erat nomen Scythicum, & dignum, quod ab aliis gentibus barbaris fecerneretur: magna erat eorum potentia; & ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut invicti mansere, teste Justino lib. 11. Labet in hanc rem adscribere verba Thucydidis lib. 11. Ἰαυὶ δὲ μάχης καὶ στρατῶ πολλῶν

(d) De latitudine Scythiæ per Europam omnem, magnamque Asiæ partem se longe lateque diffundentis vide Cluver. Germ. Ant. L. 1. c. 2. Matth. Praetori. Orbem Goth. L. 1. c. 7. Ol. Rudbeckii Atl. L. X. c. 10. Vitruv. Obs. f. L. 1. diff. 1. c. 8. Gurtl. Origg. M. L. 1. c. 18. & L. 2. c. 9. Barth. Advers. L. LVI. c. 15. T. d. H.

πρὸ δευτέρῃ μετὰ τὴν Σκυθῶν. Ταύτη δὲ ἀδύνα-  
τα ἐξισθῆναι ἔχ' ὅτι τὰ ἐν τῇ Ἑυρώπῃ ἀλλ' ἔδ' ἐν  
Ἀσίᾳ ἔθνη ἐν πρὸς ἔν ἔχ' ἔστιν ὁ πῖ δυνατὸν Σκυθῶν  
ὁμογνωμονῶσι πᾶσιν ἀντιστῆναι. *Viribus bellicis,  
ἔ multitudine copiarum, longe minor fuit Scythis.  
His enim nulla ex gentibus Europæ atque Asiæ, si  
una gens cum altera conferatur, par esse potest.  
Quid? quod nulla ex iis resistere possit Scythis, si  
simul se jungant.*

§. 6. Præterea situs nationum Scythicarum  
talis erat, ut quum pleræque gentes barbaræ  
hujus orbis habitabilis, sive τῆς οἰκημένης, cen-  
ferentur esse sub imperio Romanorum, Scy-  
thæ quasi extra orbem illum remoti haberen-  
tur. Verbis Philonis Judæi, quod ætas ejus  
haud multum abfuerit ab illo tempore, quo  
Paulus hæc scripsit, utar eo lubentius, ut hoc  
illustrem, in libro de legatione ad Cajum pag.  
993. Ἀρχὴν τῶν πλείστων καὶ ἀναγκαιοτάτων με-  
ρῶν τῆς οἰκημένης, ἀ δὴ καὶ κυρίως ἀντιστῆναι οἰκημέ-  
νην εἶποι, δυοὶ ποταμοὶς ὁρίζομεν, Ἐυφρατὴν τε  
καὶ Ῥηνῶν, τῶν μὲν ἀποτεμνομένων Γερμανίαν καὶ ὅσα  
Μεσωδέρῃ ἔθνη, Ἐυφρατὴ δὲ Παρθίαν καὶ τὰ  
Σαρματῶν γένη καὶ Σκυθῶν, ἀπὸ ἑξ' ἤτιον ἐξ-  
γελῶται τῶν Γερμανικῶν. *Imperium partium or-  
bis habitabilis plurimarum ἔ necessariorum, qua-  
que adeo nomen orbis habitabilis proprie ferre me-  
rentur; illarum nempe quæ hinc Rheno, illinc Eu-  
phrate continentur, illo quidem excludente Germa-  
niam ἔ alias efferas gentes, hoc Parthiam ἔ Sar-  
maticos Scythicosque populos, non mitiores Germa-  
nicis,*

nicis. Habiti ergo Scythæ, quasi ultra limites gentium barbararum, quæ Romanis parebant, quid mirum si a barbaris aliis distinguantur? Quum porro situm Scythicarum gentium dico extra orbem Romanis subditum, simul eo ipso a reliquis barbaris possunt distingui, quod indomiti essent, expertesque Romani jugi. Ideo Seneca consolatione ad Helviam hæc jungit, *Scythia & totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus.*

§. 7. His addo tertium, agrestem immanitatem, (e) qua ita efferati habebantur ut *Βεχχὸ τῶν θηρίων διαφέροντες*, haud multum a beluis diversi, appellentur a Josepho lib. I I. contra

(e) Egregie hæc confirmat Ovid. Trist. L. V. & 7. vs. 43. qui ita de Scythiis.

*Sive locum specto, locus est inamabilis, & quo  
Esse nihil toto tristius orbe potest.*

*Sive homines; VIX SUNT HOMINES  
HOC NOMINE DIGNI,*

*Quamque lupi, sæva plus feritatis habent.*

Ita Mysos, non minimos inter Scythas Florus L. IV. c. 2. vocat *feros truces, & ipsorum etiam BARBARORUM BARBAROS.* His quoque *νομιμα θηρίων καὶ βαρβαροί*, instituta ferina & barbara adscribit Euf. de præp. Ev. L. I. c. 4. De illis Jul. Firmicus Mat. de err. prof. relig. ita scribit. *Estne aliquid apud Scythas humana ratione compositum? & illa effera gens & crudeli atque inhumana semper atrocitate grassata in constituendis religionibus rectum aliquid potuit invenire?* Sic Thraces, Scythiæ gentem *Τετβαρβαροί* appellat Plutarchus de educ. liber, 6, 20, n. 7. T. d. H.

tra Apionem. Qui a Judæis ita describuntur, quid mirum si ab aliis barbaris segregentur? Hippocrates libro de aëre, locis, & aquis, sect. 3. pag. 291. Πολύ ἀπῆλλακται τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὸ Σκυθικὸν γένος. *Gens Scythica multum diversa est a reliquis hominibus.* Themistius oratione xxx. Scythas appellat gentem ἀξενον ἢ ἀνήμερον. quæ δίαίλου θηρίων, morem vivendi belluinum, habeat, χαλεπώτατον sit ac ἀγροιώτατον τῶν ἐθνῶν, vivens sine aedibus atque agrorum cultu. Libanius quoque declamatione xxx. Scythas vocat δίκην θηρίων φερομένης more ferarum vagantes, καὶ μήτε θεμιτῶς ἀνθρώπινος εἰδότης μήδ' ὁμοιοῦντας τῇ φύσει συζῶντας δ' αἰχρίω τόπω καὶ βιάίῳ, *nec jura nec statuta humana scientes nec naturae consentaneos, sed agresti & violento modo viventes.*

§. 8. Syri interpretis mentionem non facerem, nisi ita in hoc loco a contextu Græco recederet, ut mirari quis debeat qui eum confert cum codicibus Græcis. Ita ille Ἰουδαῖος ἢ Ἰουδαῖος ἢ Ἰουδαῖος ἢ Ἰουδαῖος ἢ Ἰουδαῖος *Judeus atque Armenus, nec circumcisio nec preputium, nec Græcus nec barbarus.* Hic Scythes plane exulat; Græci & barbari opponuntur, uti frequentissime fieri solet, Armenus, vel Aromæus (ita enim quidam codices habent) inferitur, ordoque verborum prorsus invertitur. Credo & Arabem Erpenianum iisdem codicibus usum, quibus Syrum, aut hunc du-

cem

cem esse fecutum ; adeo cum ipso convenit & pro barbaris ac Scythis substituit Græcos & barbaros. Sed non est quod de rivis admodum sumus solliciti ubi fontes ad manum sunt. Tantum hæc noto , ut si forsitan similis scriptura in codicibus manuscriptis, quos futura ætas in lucem protrahet, inveniatur, conferri hæc queant, & inde aliquid eruatur pro ætate, qua versio Syriaca confecta est. Observa Aromæi nomine Syrum uti pro Ἕλληνας, Act. 16: 1. Gal. 3: 28. & aliis locis, illudque distinguere ab Oromoio, quod est Arameus, Syrus, Luc. 4: 27. Ortum videtur illud Aromæus, pro Græco positum, ex رومي Roumi, quod Arabibus Græcum notat, ( unde الرومي Erroumi) uti & Græcia a Turcis hoc ipso tempore روم ولايت regio Roum nuncupatur, in ipsis titulis Imperatoris Turcici, & alibi. Scrip- toribus historiæ Byzantinæ consuetum quoque est Græcos Ρωμαίους dicere. Arabas autem distinxisse Græcos, qui Romano imperio parebant ab illis Græcis, qui Romanis non parebant, & uti illos a روم Roum, sic hos a Javan, & يونان Jounan dixisse jam alii obser- varunt. Anatolia aliquando etiam nomen الروم Ρωμαίους tulit, quando sub Imperatori- bus Græcis, i. e. Constantinopolitanis fuit. Adeo pro ratione diversorum temporum usus

vocis *Roum* se aut latius aut minus late extendit, circa Græciam tamen.

§. 9. Verum, dicet aliquis, si *Roumi* & *Jounani* ita distinguenda sunt, ut illud Græcos qui imperio Romano paruerunt notet, hoc Græcos veteres, qui ante illa tempora vixerunt, quomodo hic Syrus jungit illos quos nomine *Jounani* dicit, quique non amplius supererant, iis qui *Romæi* nuncupantur? Respondeo Orientales populos hæc duo *Roumi* & *Jounani* non semper ita solícite distinguere. Ipse Alexander Macedo *Roumi* quibusdam dicitur, quum tamen perperam id fieri alii obseruent. Adeoque aliud est quid factum sit; aliud quid factum oportuerit. Præterea interpretem Syrum vocem *Jounani* non tribuere Græcis illis solum qui ante Romanorum dominatum vixere, constat ex Rom. 1: 14. ubi Ἕλληνας *Ἕλληνας* notat eo tempore viventes. Obiter nota inconstantiam hujus interpretis (vel interpretum, si per patronos hodiernæ versionis Syriacæ id suspicari liceat) qui vocem eandem modo pro Ἕλληνας, modo pro Συρίους substituit. Non sapiunt hæc tempora Apostolica aut Apostolicis præxima, quibus nonnulli versionem hanc attribuere conantur, quod nobis nunquam persuadebunt.

§. 10. Ex Epiphanio hoc unum adjungam, antequam finem scribendi faciam, illum libro

1. adversus hæreses pag. 5. hæc verba Aposto-  
 li ita citare, *Φησὶ γὰρ, ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ ἔβη-  
 βαρῶ, ἔ Σκυθῆς, ἔχ' Ἑλλήν, ἔκ' Ἰουδαῖ.* In-  
 quit enim (Apostolus) in Christo Iesu non est bar-  
 barus, non Scythes, non Graecus, non Judaeus.  
 Itane in suis codicibus legit Epiphanius? Non  
 putem. Prisci ecclesiae Christianae doctores  
 solebant aliquando verba sacri codicis memo-  
 riter citare, sensum reddere contenti. Quae  
 porro is addit, ostendunt ex his verbis Apo-  
 stoli natam esse distinctionem temporum in  
 periodos dictas *Βαρβαρισμῶς, Σκυθισμῶς, Ἑλλη-  
 νισμῶς, & Ἰουδαϊσμῶς*, sic ut *Βαρβαρισμῶς* comple-  
 ctatur tempus quod effluxit ab Adamo ad Noa-  
 chum, *Σκυθισμῶς* inde usque ad turrin Baby-  
 lonicam, *Ἑλληνισμῶς* usque ad Abrahamum, &  
 quod ultra est *Ἰουδαϊσμῶς* appelletur. (f) Verum  
 hæc non merentur ut iis immoremur: pos-  
 sumus enim hac eleganti temporum distin-  
 ctione carere absque ingenti rei  
 chronologicae dispendio.

(f) Gemina his habet J. Damascenus in libro de hæ-  
 resibus. T. d. H.

**THEODORI HASAEI,**  
ad praecedentem disser-  
tationem

**ANALECTA,**

in quibus praecipue Syriaca loci  
Col. III: 11. versio defenditur, *Scy-  
thasque ARAMAEOS* dici po-  
tuisse ostenditur.

**SYNOPSIS.**

Autores, qui de voce *Barbarus* commentati sunt §. 1.  
Ita dicti Germani, Galli, Latini, Judaei. Vocis ve-  
ram *ἔρμυον* §. 2. Philo Judaeos quoque vocat Bar-  
baros §. 3. *Scythae* dicti Barbari. Idque ab ipsis Ju-  
daeis §. 4. Atque hoc nomen diu postea iis adhæ-  
sit. Locus mortis Imp. Decii, Anna Daceria nota-  
tur. §. 5. 6. Quomodo itaque *Scythae Barbaris* op-  
ponuntur. Salmasii sententia excutitur. An *Scy-  
thae* sapientiae laude inclyti? §. 7. *Barbari* habiti sa-  
pientes. §. 8. *Barbaria* quando ita dicta. Non opus  
est, ut dicas a Paulo *Scythas* opponi *Barbaris* §. 9.  
Syri versio examinatur, qui *Scythas* appellat *ARA-  
MAEOS*. §. 10. Ita quoque eos appellat Plinius.  
Idque recte, contra Bochartum §. 11. *Scythae* enim  
sunt *Sagittarii*. Id ex lingua Germanicâ ostenditur  
§. 12. Et Ebraica & Latina §. 13. Et Graeca. Apud  
Grae-

Graecos enim Scythae & *Toξολαι* sunt synonyma §. 14. Dicti autem ita ob singularem tela emittendi peritiam §. 15. Et ita dicti, *Aramaei*, quae vox quodammodo notat jaculatores. *Ἄριμασι* §. 16. & praemittitur vocibus ab *ἄ* incipientibus §. 17. Hinc forte populi Scythiae *Arimaspi*, vel *Ἀριμασαι* dicti §. 18. Sed & *Aramaeus* hic notare potest gentilem. A sua enim religione alienos ita appellabant *Judaei* §. 19.

§. 1.

**U**T recte hic Paulinus locus intelligatur, id praecipue curandum, ut recta vocis *βαρβαροι* significatio, ejusque historia tibi innotescat. Indagata ea autem est à quam plurimis. Horum bene longum catalogum nuper admodum S. R. J. DIECMANNUS, *vvv év μακαροίς* in *specimine Glossarii*, quod Rhabano Mauro tribuitur, p. 49. 50. exhibuit. Liceat alios ab eo praetermissos adjungere, si fortassis ita occasionem praebuero humaniorum literarum studiosis, ut quis specimen aliquod Academicum editurus, ad conscribendam de historia vocis hujus dissertationem adjiciat animum. Consulantur itaque praeter *Lexicographos Leonh. COQUEUS* ad *August. de C.D.L.I. c. 1. p. 6.* *J. MEURSIUS* ad *Lycophr. ad vs. 150.* *Fr. HOTTOMANNUS* de *ritu nupt. p. 469.* *Christ. BECMANNUS* de *Origg. L. Lat. p. 280.* *Hier. MAGIUS* *Miscell. L. III. c. 13.* *J. DRUSIUS* in *Obs. L. III. c. 3. & Quaest. L. II. qst. 17. & Praeter. L. VI. p. 238.* *J. RHODIUS* ad  
 Scri-

Scribonium Largum comp. 171. J. J. CHIFLETIUS in Anast. Childer. c. V. p. 81. 82. R. KEUCHENIUS ad Corn. Nep. Milt. p. 14. G. J. VOSSIUS de Vit. Serm. L. I. c. 1. L. de la CERDA in Advers. C. CXLII. §. 6. J. C. SUI-CERUS in Thes. p. 660. Matth. PRAETORIIUS in orbe Goth. L. IV. c. 1. §. 6. Joh. de HISPANIA in Opusc. p. m. 367. Joh. FAËS ad Gyr. de sep. p. 141. A. PFEIFFERUS in Ebr. & ex. N. T. Voc. L. 41. Theoph. GALE phil. gener. P. I. L. I. c. 2. Sect. I. §. 1. Joh. PERINGERUS sive PERINGSKIOLD (a) in notis ad Joh. Cochlaei vitam Theodorici regis editam Holmiae, a. 1699. in 4. pag. 300. C. A. HEUMANNUS Act. Phil. Germ. Fasc. VIII. diff. 2. Jac. Fr. REIMANNUS in hist. liter. T. II. p. 59. sqq. C. VITRINGA Observ. S. L. I. c. 9. §. 16. & *Grazianus Agricola Auletes*, i. e. Johannes Georgius PFEIFFER in itiner. in loca incognita, (qui liber nuper admodum heic Bremae prodire coepit) P. I. p. 130. sqq. Barbaros alias pro hominibus insipidis atque *avoy-rois* sumi ostendit L. Bos in animadvers. ad scr. Lat. p. 12. quibus addo Jul. Imp. Or. II p. 57. ed.

(a) Obiit ille diem suum superiori anno d. 7. Kal. Apr. aetatis LVI. Stregnesiae enim quae Sudermanlandiae urbs est d. 6. Oct. a. 1656. natus est ex Familia quae Culmbaci in Franconia floruit. Vita ejus & scripta recensentur in trimestri tertio Actorum literariorum Sueciae, quae anno superiori Upsaliae edi coeperunt. T. d. H.



horridi habent, derivandam censet. Barbariam olim dictam omnem terram, quae extra ditionis Romanae limites posita erat II. CASAUBONUS ad Lampr. Alex. Sev. c. 58. docuit. Judæos quoque a Graecis nominatos Barbaros, eorumque linguam Barbaram ex Jamblichio Chalcidensi, Amelio, philosopho Platonico, (quem minus recte Drusius Aurelium vocat) & Cyrillo contra Julianum jam pridem tradidit Hadr. JUNIUS, & qui ex Junio sua hausit Drusius Praet. L. VI. pag. 238.

§. 3. Philonem Judaeum populares suos a Graecis barbarisque distinxisse monet Relandus §. 1. Videri tamen posset ille Judaeos quoque Barbarorum adscripsisse numero. Ita non solum in libro de confusione lingg. p. m. 321. omnes terrae nationes in Graecos & Barbaros distinguit, atque ita his includit cives suos, sed & in L. II. de vita Mosis p. m. 658. Judaeos vocat Barbaros. Cum enim de legibus Mosis & divinis locutus esset ait, *indigne quosdam tulisse has parti tantum humani generis innotuisse, nempe solis Barbaris* (τῶν βαρβάρων) Graecos vero nullum eorum gustum habuisse, hinc de interpretatione cogitasse Ptolomaeum Philadelphum porro narrat. Ubi clare vides non solum Judaeos Graecis opponi tamquam Barbaros, sed & tales considerari Barbaros, praeter quos vix alii Barbari essent in mundo. Cogitandum tamen,  
Philo.

Philonem haec non suo nomine, sed ex aliorum sententia adducere.

§. 4. Scythas in Barbarorum fuisse numero bene Relandus observat. Addimus iis, quae ad id probandum ille adduxit, Curtium qui L. VII. c. 8. Scythis, ait, non ut ceteris BARBARIS rudis & inconditus sensus est. Galenus in Protr. ad artes; Ὅρας ὡς εἶδεν κωλυει τον Σκοθην Αναχαρσιν, καὶ θαυμαζεσθαι τε καὶ σοφον ὀνομαζεσθαι, καὶ τοι βαρβαρῶ ἦν το γενῶ, εἶτῶ ποτε προς πνῶ ὀνειδιζομενῶ, ὅτι βαρβαρῶ εἶη καὶ Σκυθης; Εμοι μεν ἡ πατρις ὀνειδῶ, συ δε τη πατριδι; *Vides quod nihil impediverit, quo minus Anacharsis SCYTHES admiratione fuerit dignus habitus, & sapiens vocatus, etsi BARBARUS erat genere, cui quippe non erat dedecori, quod BARBARUS esset & SCYTHA; Mibi enim, in- quiebat, patria est probro, tu autem patriae.* Julius Firmicus de errore profan. relig. p. 31. *Hoc Avarus (lege Abaris) Scythia fecisse perhibetur, jam quale sit considerate, quod SCYTHA BARBARUS consecravit.* Clemens Alex. in paed. L. III. c. 3. de Scythis loquens, πλατῶ, inquit, εἶναι δοκει τῶ ΒΑΡΒΑΡῶ το μεγαθῶ της εἰμαξης, & rursus cum de eorum comis locutus esset, εχει π, addit, φοβερον το ευτειχον τε ΒΑΡΒΑΡΟΥ. *Densa Barbari coma prae se fert aliquid terribile.* Hieronymus in nota Epistola ad Suniam & Tretelam, quos perperam A. Rivetus, R. Simonius, & Michael Le Quien feminas putarunt, cum essent exercitus Gothici

Duces, *Quis*, inquit, hoc crederet, ut BARBARA GETARUM lingua hebraicam veritatem quaereret. Diodorus Siculus hist. L. IV. c. 4. p. m. 245. scribit Pontum circum habitari ὑπο ἔθνων ΒΑΡΒΑΡΩΝ καὶ παντελῶς ἀγρίων. Et L. XIV. p. 714. de bello Lysimachi cum Scythis loquens hos appellat Βαρβαρῶν. Justinus L. II. c. 2. scribit prorsus admirabile videri cultos Graecorum mores incultae BARBARIAE (Scythiae) collatione superari. Saepissime praesertim de illius terrae, in qua tot annos coactus est transigere, barbarie conquestus est Ovidius. Loca tantum aliquot producam. Trist. L. III. Fl. 3. vs. 46.

*Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcrū  
Indeploratum BARBARA terra teget?*

El. X. vs. 4.

*Me sciat in media vivere BARBARIE.*

El. XI. vs. 7.

*BARBARA me tellus & inhospita littora  
Ponti,*

*Cumque suo Borea Maenalis ursa videt.*

L. V. & X. in qua scripserat v. 48.

*Quodque hic in SCYTHICIS finibus esse queror  
collato vs. 13. scribit vs. 26.*

-- & tamen intus

*Mista facit Grajis barbara terra metum.*

*Quippe simul nobis habitat discrimine nullo*

BARBARUS -- --

Et de Ponto L. I. & 3. vs. 38.

*Quid*

Quid melius Roma? SCYTHICO quid littore  
pejus?

Huc tamen ex illa BARBARUS urbe fugit.

& L. III. el. 1. v. 5.

An mihi Barbaria vivendum semper in ista?

& L. IV. ep. IX. v. 93.

Sic ego sum longe, sic hic, ubi BARBARUS  
hostis.

Quin & ipsos Judaeos Apostolorum tempori-  
bus solitos fuisse Scythas accensere Barbaris  
ex Philone constat, qui L. II. de Vita Mosis

p. m. 656. ita scribit. Ουδε κατα την βαρβαρον  
Αιγυπτοι της Σκυθων νομους φυλαττεσιν, η Σκυθαι  
της Αιγυπτων. Quae ita vertit Gelenius; In-  
ter Barbaros Aegyptii non utuntur Scytharum legi-  
bus, nec Scythicae gentes institutis Aegyptiorum.

§. 5. Immo diu postea Scythis haec appel-  
latio adhaesit. Patet id ex historia necis Im-  
peratoris Decii, qua inter Barbaros confectus  
esse legitur. Ita Eutropius L. IX. c. 4. Cum  
biennio ipse & filius imperassent, uterque in BAR-  
BARICO interfecit sunt; Barbarico: i. e. solo  
Barbarico ἐκείνηι utens illo aevo valde usita-  
ta. Unde recte vertit Paeanius, Eutropii  
metaphraustes, εν μεσοις τοις βαρβαροις. Aur.  
Victor in Epitome c. 29. In solo BARBARI-  
CO gurgite paludis submersus est. Et in L. d. Caess.  
c. 29. Decii BARBAROS trans Danubium perse-  
cutores (c) Bruti fraude cecidere. Paulus Oro-  
sius

(c) Lepidus admodum hic A. Victoris error est, quo  
ex

sius L. VII. c. 21. *Decius cum filio continens in medio Barbarorum sinu interfectus est.* Quodnam autem illud Barbaricum solum? qui illi Barbari? Anna Dacera in notulis ad Victorem scribit *interiorem Germaniam esse illud Barbaricum solum.* Sed hoc aerugo mera est, & succus loliginis atrae. Scio quidem Germanos habitos fuisse Barbaros, sed & id scio, quidquid hujus est encomii, non minus tributum fuisse Gallis. Eodem itaque jure quisquam diceret à Victore *interiorem Galliam vocatam solum Barbaricum.* Et sane parum tui memor fuisti, doctissima mulierum, cum ista in chartam conjiceres. Quid enim? In notis tuis ad eundem scriptorem de Caes. c. 29. locum, ubi Decii cecidere, vocas Abrutum, Moesiae urbem. Bona verba, quaeso! Maesia ergo provincia fuit interioris Germaniae! Ergo si tuo res stabit arbitrio:

Mox

ex urbe Maesiae Abruto vel Abruto, propter quam Decios esse occisos ex citatis testimoniis videre est, mira μεταμορφώσει transmutarunt in hominem Brutum. Per similes ille est iis, quo Gallis errarunt, quando ex urbe Noricorum illustri Altdorfio Mfr. Altdorfius, ex articulis Smalcaldensibus *Articulum Alsmacaldum, Germanum Lutheranum,* ex Hald, Suevorum urbe, *un Eveque nommé Hallam,* ex Democratia & Aristocratia provincias in mappis Geographicis quaerendas ex Ottone Guerike, Cos. Magdeburgensi, Antliae Pneumaticae inventore Mfr. Magdeburg, & quae sunt hujus generis alia, fabricaverunt. T. d. H.

*Mox Ararim Parthus bibet, aut Germania Ti-  
grim.*

Sed id accidisse tibi videtur vulgari nationis  
tuae vitio, in qua sunt, qui ut Germanis,  
quos Vervecum in patria, crassoque sub  
aere natos censent, faciant aegre, saepius tur-  
pissime se dant, hominibusque cordatioribus  
risum movent. Idque tum praesertim, quan-  
do de rebus agitur, quae situm, statumque civi-  
lem regionum extra Galliae limites positarum  
concernunt.

§. 6. Quinam ergo, ais, Barbari illi fue-  
runt, inter quos & a quibus interfecti sunt  
Decii? Fuerunt illi SCYTHAE. Ita Zosimus  
hist. L. I. c. 23. id contigisse ait τῆ τῆ Ταναϊδὸς  
ὄχθῃ ad ripam Tanaidis, populos, cum qui-  
bus decretum est, vocant ΚΥΘΑΙ ΤΟΝ ΤΑΝΑΙΔ  
ΠΕΡΙΒΑΝΤΕΣ, eosque deinde simul appellat BAR-  
BAROS. Jornandes id tribuit Getis, quos  
non alios a Scythis esse nemo nescit, in libro  
de regn. success. p. m. 50. Decius ipse bellantibus  
GETIS cum filio suo crudeli morte occubuit Abru-  
pto, & in L. de rebus Geticis p. m. 100. Decius  
veniens Abrupto, Maesiae civitatem circumseptus  
a Gothis ipse exstinguitur. Qui locus hodieque  
Decii ara dicitur. Zonaras Ann. L. II. p. m. 231.  
VOCAT ΒΑΡΒΑΡΟΥΣ ΤΟΝ ΒΟΣΦΟΡΟΝ ΛΗΣΙΖΟΜΕΝΟΥΣ, Bar-  
baros Bosphoranam regionem populantes, quis au-  
tem nescit hanc ad Scythiam pertinere? La-  
ctant. de mort. Persec. c. 4. describit Carpos, qui  
tum Daciam, Maesiamque occupaverant, quos  
no-

notum est, ejusdem cum Scythis esse originis eosque pariter appellat *Barbaros*. Constantinus Imp. in Or. ad sanct. coetum c. 24. Decio objicit eum internecione deletum ἐν τοῖς ΣΚΥΘΙΚΟΙΣ πεδίοις, & propterea Romanorum imperium ludibrio objecisse τοῖς Γεταῖς, i.e. *Scythis*. Omnium plenissime autem Georgius Syncellus in Chronogr. p. m. edit. regiae Par. 376. haec tractat. *Κυδαὶ παρρωθέντες, οἱ λεγόμενοι Γότθοι, τὸν Ἰστρον ποταμὸν ἐπὶ Δεκίῃ πλείστοις τῶν Ῥωμαίων ἐπικρατεῖαν κατένεμοντο. - - Ἐπαύσθη δὲ Κυδαῖς ἐπὶ τὰ σφετέρη οὗ αὐτοῦ Δεκίῃ ἐπιδήμενῃ ἀναίρεται ἐν Ἀβρυτῶ, τῷ λεγομένῳ, Φορῶ Θεμβρωτῶ, συν τῷ παιδίῳ Θεομαχῷ. Κυδαὶ δὲ κ. τ. λ. SCYTHAE, qui Gothi, Istro trajecto, imperium Romanum sub Decio depopulantur - - SCYTHAS porro in provinciam se referentes ad Abrytum urbem, Tembronium dictum, cum filio trucidatur Dei hostis, Decius. SCYTHAE autem; &c. Horum verborum partem Daceria citat, non itaque debuisset locum, in quo periit Decius, quia barbaricum solum vocatur, collocare in media Germania. Saltem ex his constat Scythiam tertio saeculo dictam esse Barbariam.*

§. 7. Quae cum ita sint, operae videtur pretium esse, ut indagetur, qua ratione Paulus Scythas potuerit opponere Barbaris, cum Scythae essent Barbari. Claudius Salmasius in Offilegio linguae Hellenisticae singulari hinc methodo procedit, putatque Paulum vitandae ambiguitatis vel obscuritatis gratia quaesivisse inter Bar.

Barbaras gentes eam, quae minime omnium esset  
 Barbara, & quae sapientia ac prudentia humana  
 caeteris praecelleret. Hanc autem esse Scythicam.  
 Ideo Scytham cum Barbaro composuisse, ut sapientem  
 cum insipiente. Idque probare nititur ex verbis cum  
 Herodoti, tum Epitomatoris Trogi. Sed nescio  
 an ex his sequantur, quae inde elicere se posse  
 putabat vir summus. Quod enim Herodotum  
 attinet, ille nihil docet aliud, quam Scythas in-  
 ter gentes, quae propter Pontum Euxinum  
 habitabant, eminuisse sapientia. Quod non  
 mirum, cum hae praeter formam vix aliquid  
 humani crederentur possidere. Vide quae à  
 Relando §. 7. & ibi a me notata sunt. Inter  
 illos itaque Scythae sapientiores sint iudicati.  
 Non magis tamen inde elicies eos sapientiae  
 laude floruisse, quam si velles colligere, lu-  
 scos, qui inter coecos Reges sunt, propterea  
 tam acutum cernere, quam Aquila, aut ser-  
 pens Epidaurius. Tantum porro abest, id ex  
 verbis Iustini sequi, quod colligere vult Salma-  
 sius, ut prorsus aliquid contrarii in ejus ver-  
 bis delitescat. Quod ea consideranti claris-  
 sime patebit. Scythas enim ille ob continen-  
 tiam, justitiam atque abstinentiam laudave-  
 rat. Atque his virtutibus eos nunc Graecos  
 anteire docet. Id vero mirum esse, cum Grae-  
 ci aliter meliusque instituantur, innuit. Pro-  
 fus, ait, ut admirabile videatur, hoc illis natu-  
 ram dare quod Graeci longa sapientium doctrina,  
 praeceptisque philosophorum consequi nequeant.

CULTOSq; mores INCULTAE BARBARIAE collatione superari. Vides de sola sermonem temperantia esse. Eam adtribui Scythis. Tantoque magis laudari, quod id natura duce assequantur, quod cultiores populi vix accurata institutione, multisque praeceptis assequuntur. In reliquis ab INCULTA BARBARIAE non absolvi. Ergo *inculti sunt & barbari*. Simili plane loquendi modo utitur Antiphanes Comicus apud Athen. L. VI. p. 226.

Ἐἰ τ' ἔ σοφοὶ δὴ τ' εἰσὶν οἱ Σκυθῶν σοδοῖα;

*Annon igitur insigniter sapiunt Scythae?*

Quibus verbis primo intuitu sapientiae laude eos egregie commendari diceret, cum tamen ex toto contextu pateat eos solummodo ob singularem infantum educationem laudari. Legimus Caffares, quos Hottentottas vocant, ob castitatem, rarumque adulterii crimen laudari. Saepe id nostrae gentis hominibus exprobratum fuit, *prorsus admirabile videri, hoc illis naturam dare, quod Christiani longa religionis pulcherrimae doctrina praeceptisque Magistri sui consequi nequeant, cultosque mores INCULTAE BARBARIAE collatione superari, tantoque plus in illis proficere vitiorum ignorantiam, quam in his cognitionem virtutis. Quisquis autem inde illos promontorii bonae spei accolat, tanquam singulare exemplum sapientiae laudatos, & Christianis tanquam stolidis oppo-*

opponi, vellet conjicere, nae ille ridiculus foret. (d)

§. 8. Negare tamen nolim Scythis sapientiae laudem aliquando tributam. Noti sunt eorum philosophi Abaris, Anacharsis, Zamosis, Toxaris, Curtius L. VII. c. 8. *Scythis non ut coeteris Barbaris rudis atque inconditus sensus est, quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantumcunque gens capit semper armata.* Et Origenes contra Celsum L. I. c. 14. hunc dixisse scribit *Homericos Galactophagos & Gallorum Druidas & GETAS, i. e. Scythas, fuisse ἐθνὴ σοφωτατά.* Nemo tamen unus Scythas, in exemplum sapientissimi populi proposuit unquam, eosque ut talem cum Barbaris, tanquam fatuis, & bardis, constituit adversis frontibus pugnantes, cum & Barbari ipsi sapientiae laude aliquando fuere commendati. Ita Clemens Alexandr. Strom. L. I. p. 223.

*Φιλοσοφία παλαιὰ μὲν ΠΑΡΑ ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ κατὰ τὰ ἐθνη διαλαμψασα, ὑπερον δὲ καὶ εἰς Ἑλληνας κατήλθεν.*  
*Studium sapientiae olim quidem apud BARBAROS per gentes resplenduit, postea autem ad Graecos transit.* Et cui ignota sunt Diogenis Laertii verba, quibus libros de Vit. Philos. inchoavit? *Το τῆς Φιλοσοφίας ἔργον ἐνίοι φασὶν ἀπὸ ΒΑΡΒΑΡΩΝ ἀρξάει.* Ad quem locum Menagius id

Class. V. Fasc. II.

T

suf-

(d) Confer, quae contra hanc Salmasii conjecturam Christ. Schoianus de secunda mundi aetate p. 161. & Alex. Morus in Notis ad loca N. T. monuerunt T. d. H.

suffragiis Justini Martyris, Tatiani, Theophili, Eusebii, Athanasii, Theodoreti confirmari annotat. Fuerint itaque inter Scythas sapientes, non tamen eo nomine inter eos, & Barbaros, a quibus sapientiam ad alios populos derivatam creditum fuit, tanquam sapientes & stultos institui potuisse *α'ντιμαχιαν* vides. Neque tamen & illis possum consciscere, qui ratione prorsus contraria incedunt, inter quos Erasmus est, qui in Notis ad N. T. ita scribit. *Barbaro opposuit Scytham, non quod is Barbarus non sit, sed quod prae hoc reliqui Barbari non sint Barbari.*

§. 9. Subiit aliquando ea cogitatio animum meum, cum Scythia olim quam longissime pateret, & non solum vastissimas Asiae septentrioni adjacentes regiones, sed & longe maximam Europae partem sinu suo complecteretur, Barbaria autem vastissima Africae littora, quae mare mediterraneum alluunt, designare soleat, annon Apostolus nostra phrasi voluerit designare *ὄλην τὴν οἰκουμενην*, regionesque ad meridiem & septentrionem extensas? Sed cum illico in mentem veniret omnium primum esse Anastasium Sinaitam, seculi sexti scriptorem, qui id nominis (e) illi Africae parti dedit, quidquid illius

(e) Herbelotius in Bibl. Orient. scribit Arabes tradere, Afrikin filium kis, filium Sasi, Homeritam, dedisse Africae nomen, cumque penetrasset in regiones,

illius conjecturae erat, periit illico. Sed notandum opus est, ut in indaganda illius oppositionis ratione tam anxie desudemus. Saepe enim Paulus conglomerat varias voces, quarum pars invicem sibi adversatur, pars una aliam explicat. Ita Rom. VIII: 38. *θανάτον* cum *ζωή* facit configere, non autem *ἀγγελοι, ἀρχαι, δυναμεις* ut sibi adversantia ponuntur. Sic Col. I: 16. *ὀρατα* & *ἀόρατα* consideranda sunt, ut antitheta, non autem *θρονοι, κυριοτητες, καὶ ἐξουσιαι*, quibus vocibus indicantur angeli. Pariter I. Cor. III: 22. *ἢ εἰτε Παυλὸς, εἰτε Ἀπολλῶς, εἰτε κηφᾶς, εἰτε κοσμοσ, εἰτε ζῶη, εἰτε θανάτῳ*, non habet *κοσμοσ*, uti reliqua, quibus adversetur. Confer quoque Rom. VIII. 35. Non itaque necesse est, ut in hoc loco Scythen cum Barbaro in oppositâ lance collocatum dicas.

§. 10. Examinat §. 8. per insignis Relandus versionem Syri interpretis, eumque in hoc loco a contextu Graeco ita recessisse putat, ut mirari quis debeat, qui eum conferre ve-

T 2 lit

quas nunc Barbariae nomine insignimus, dixisse illis populis *Ber Beratcom*, i. e. regio vestra, vel valde deserta est, vel abundat frugibus. Refert porro Abdalber, auctorem libri *Ansab*, memoriae prodidisse *Bar*, filium *Lakis Gailan*, Regis Aegypti, cum in has terras confugisset, suos, cum interrogati essent, quid rerum novarum apportarent, respondisse *Barbar*, vel *Ber Ber*, hoc est, *Bar* vivit in deserto; atque ita regioni suum nomen dedisse. Vide illum in voce *Berber*, T. d. H.

velit cum codicibus Graecis. Tantam tamen discrepantiam heic quidem loci mihi non licet deprehendere. Omnium enim, quorum meminit Graecus, meminit quoque Syrus. Et Graeci & Judaei, & circumcisionis & praeputii, & Scythae, & barbari, & servi & liberi. Omnis differentia in eo tantum est sita, quod *Scythae* & *Graecus* transpositus est. Ubi vero ais, Scythae hic mentio? Immo puto Syrum Scythen suo appellavisse vero & antiquissimo nomine, quando illum vocavit אַרַמַּאִי ARAMAEUM. Aramaeos enim dictos esse non solum Scythas, sed & hos à Syris sua linguâ vix commodius aliter potuisse appellari, id vero nunc a nobis ostendendum erit.

§. II. Scythis *Aramaeorum* nomen datum disertissimis verbis nos docet Plinius H. N. L. VI. c. 19. *Ultra sunt SCYTHARUM populi. Persae illos Sacas in universum appellavere à proxima gente. Antiqui ARAMAEOS, sive ut omnes manu exaratos habere codices Harduinus testatur, ARAMOS. S. Bochartus in Geogr. S. L. II. c. 6. turpem hunc vocat Plinii errorem. Sed tuam fidem, Bocharte: si quae ab Auctoribus narrantur, quae alibi vel non legisti, vel te legisse meministi, eane confestim in numerum referre turpium errorum tibi erit integrum? Ecquis itaque a talibus unquam erit immunis? Ego vero putem & Scythas olim dictos Aramaeos, neque*  
à Sy-

à Syris sua lingua potuisse appellari aliter. Neque, quidquid hujus denominationis est, arcessendum puto, vel ab Aramo Semi filio, vel quod Aramaeis vel *Αεμαίσις*, i. e. Syris essent vicini, vel quod *הרים* montes incolerent, sed, quod Phoenicum lingua idem Aramaeorum nomine significatur quod Scytharum.

§. 12. *Scythas* enim esse *Sagittarios*, & a peritia jaciendi sagittas ita esse dictos, neque alios esse, quam Germanorum nostrorum, *Schützen/ Schutten*; id à viris undequaque doctissimis G. J. Vossio, S. Bocharto, O. Rudbeckio, H. Grætio atque aliis dudum observatum est. Franciscum Foris *Otrokoxi*, fortem olim fidei confessorem, at deinceps ejus Apostatam in Orig. Hungar. L. 1. c. 1. hoc nomen derivare ab Ebraico *כפר* *textit*, operuit, unde *כפר* tugurium, quasi dicti essent ita, quod habitarent in tuguriis, scio. In qua sententia ei praeivit Dionysii scholiastes Eustathius. Nuper quoque Vir in hoc eruditionis genere princeps, mihiq; amicissimus J. G. *Eccardus* in diff. de usu & praestantia studii Etymologici in historia p. 5. ab illa sententia discessit, cum putet ipsos à *Scheiden*, *αίρειν*, vel huic cognata voce, quasi *avulsos* & *separatos* à reliquis populis potius, quam à jaculando appellatos fuisse. Sed, non vidi satis dignas adductas esse causas, propter quas à vulgari opinione abeundum sit: Quod enim *Eccardus* scribit, *Jaculandi quidem arte excelluerint Scythae, sed cum aliis quoque populi arcum optime tractare potuisse legantur,*

tur, nec tamen inde nomen traxerint non video, cur Scythis solis jaculatorum ex eo titulus dandus sit. Hujus argumentationis quodnam robur sit, patebit, si hoc modo liceat invertere. Ab aliis populis avulsi & separati fuerunt Scythae, sed cum de omnibus terrae populis id dici possit, nec tamen illi inde nomen traxerint, non video, cur Scythis solis separatorum ex eo titulus dandus sit. In lingua inferioris Saxoniae, qua Cauci mei utuntur, nota sunt Scheten, Schutte, Schutters, i. e. jaculari, jaculatores, à qua antiquissima pronuntiatione nunc, quod & alias plerumque fit, longius abeunt Germaniae superioris incolae, dicentes Schießen/ Schütze. Belgae, Schieten, Schietgeweer, Schutter. Anglis, Shote, Shulte. Angli Saxones Sceotan; iisdem Scoten est jactus, Scytta, Sagittarius. Italis Scuotere, Scotere est idem, quod Latinis Excutere. Prusis Szythi notare sagittam observat Praetorius in Orbe Goth. L. I. c. 7. §. 1. Eandem vocem in usu quoque esse Suecis Olaus Rudbeckius probat Atlant. p. I. c. X. §. 3. f. 15. Inter alia ibi haec habet; Nos venatores regios vulgari nomine Skyttar/ & bonam partem militum, quos urbes in copiarum maritimarum supplementum emittunt, Bylfe skytters appellamus. Etiam in nonnullis antiquissimorum Regum literis Stadzens: Skytt och Skyttehuus i. e. urbis arma & armamentarium leguntur. Nec infrequentes istae voces sunt apud Bibliorum interpretem Sueonicum, uti videre est 1. Reg. (vel potius Samuelis) XXXI: 3. ubi

3. ubi bis occurrit *Schyttarne*; ubi Lutherus habet *Schützen*. Neque quisquam miretur, Scytharum nomen cum vocibus Germanis, vicinorumque populorum componi, cum viri docti non solum passim comprobaverint, Germanos ortos esse à Scythis, sed & hos locutos esse Germanice, cum alii, tum praecipue Boxhornius in epistola peculiari ad Nicolaum Blancardum scriptâ conatus sit ostendere.

§. 13. In lingua Ebraica hujus derivationis supersunt vestigia; Eadem enim literae occurrunt, in *קשת* arcus, *קשת*, sagitta, uti & Graecorum *κων*, convenit cum *קשת*. Sic *קשת* sagitta transpositis literis est *קשת*, *sachatz*. Et aut multum fallor, aut huc spectat Latino- rum *SAGITTA*, & Graecorum *σαγιτα* apud Suidam, unde & *σαγίλοβολον* apud Leonem in *Tacticis*. Tolle enim vocales, quae à veteribus non adscribebantur, tum deprehendes utrobique easdem literas, g tantum in cognatam literam c vel k mutata, quo nil est frequentius. Saltem, quis non videt, aptiorem hanc esse etymologiam, quam si cum aliis dicas, *sagittam* dictam, *quod satis longe agatur, vel quod sagaciter mittatur, vel quod sagax sit usus ejus*, quibus nihil magis inficetum excogitari potest? Fortassis huc quoque pertinet *Scutum*, genus armorum, quod sagittas excipit, & retundit, nisi mavelis hoc convenire cum Germanorum *Schützen* *Schütten*;

beschutzen, quod corpora militum se contra hostium ictus tueantur scutis.

§. 14. Neque solum convenientia literarum Scythas esse Sagittarios docet, sed & veterum auctorum testimoniis id probari potest abunde. Ita lictores ministrique Atheniensium, quod plurimi eorum gente Scythae erant, dicebantur Scythae; sed & illi appellati fuere τοξολαι, i. e. Sagittarii, quod Scythae notaret τοξότην. Suidas; ΤΟΞΟΤΑΙ, οἱ δημοσίοι ὑπηρεταί - - Ἐκαλεῖντο δὲ οὗτοι καὶ ΣΚΥΘΑΙ. Jul. Pollux L. VIII, c. 10. scribit τῶν δικαστηρίων καὶ τῶν αἰθῶν συνοδῶν δημοσίους ὑπηρετάς vocari Σκυθᾶς καὶ τοξολᾶς, Scythas & Sagittarios, Etymologici magni Auctor; ΤΟΞΟΤΑΙ δὲ καὶ ΣΚΥΘΑΙ, αἱ δημοσίοι δούλοι Ἀθηναίων. Sic Σκυθῆς & τοξότης permutatur apud Aristophanem in Lysistr. vs. 434. & vs. 450. & 452. Ejus Scholiastes ad Θεσμοφ. vs. 1026. haec habet. τὸν Σκυθῆν): i. e. τὸν τοξότην, οἱ γὰρ τοιοῦτοι τοξοταί - - ὑπηρεταί, καὶ φυλακῆς, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τὸ γένος Σκυθαί ἦσαν. Et ad Acharn, vs. 54. Εἰσι δὲ οἱ τοξοταί, δημοσίοι ὑπηρεταί, τῶν αἰεθμον χίλιοι, ἐκαλεῖντο οὗτοι καὶ ΣΚΥΘΑΙ. Huc pertinet, quod in Andocidis Or. de pace Lacedaemon, in initio legitur. Καὶ τοξοταί τρεῖς ἡσίοις ἐπελαμέθα. Inprimis notanda verba Aeliani in Tact. c. 2. p. m. (edit. omnium primae Venetae 1552. in 4.) Οἱ δὲ τῶν ἵππων τοξοῖς χρωμένοι, ἵπποτοξοταί λεγόνται, ὑπ' ἐνίων δὲ ΣΚΥ-

ΣΚΥΘΑΙ: Qui in equis sedentes, Sagittis utuntur, dicuntur ἰπποτοξοται ab aliis SCYTHAE.

§. 15. Scythas itaque notat Sagittarium. Hoc autem nomen Scytharum populi datum, quod jaculandi arte excellerent. Id quondam à τῷ πανν Bocharto in Phaleg. L. III. c. 13. observatum est, ubi id agit ut Gogum & Magogum in loco Ezech. XXXIX. 3. ubi eorum arma arcus & Sagittae commemorantur, denotare Scythas ostendat. Addamus nonnulla loca, quae ille non adtigit. Orpheus in Argon. v. 1072.

ΤΟΞΟΦΟΡΟΥΣΤΕ ΣΚΥΘΑΣ Ἀρεὸς πῖστος Ἰεγε-  
πονταίς,

Teliferosque Scythas, genuinos Martis alumnos. Plutarchus in L. de tuenda valetudine & in Demetrio Scythas inter potandum contrectare arcum, & cantare soluto arcu commemorat. Aeschylus in Προμ. δεσμ. v. 710. Scythas describit ἐκρηβολοῖς τοξοῖσιν ἐξηρητημένους. Plinius L. VII. c. 56. Arcum & Sagittam SCYTHEN Jovis Filium invenisse dicunt. Scholiastes Lycophronis ad Cass. v. 49. Teutarum Scythen Sagittis uti docuisse Herculem testatur. Ovidius Getas i. e. Scythas vocat Pharetratos de Ponto L. I. ep. 8. v. 6. Alexander M. inter milites habuit Scythas Sagittarios. Id disco ex Polyaei Stratag. L. IV. c. 3. §. 27. Αυτοὺς ὑπερσπίστας ἀγῶν, καὶ μίαν ὀπλίτων Φαλαγγὰ καὶ σο ΣΚΥΘΙΚΟΝ ΤΟΞΙΚΟΝ, ὅσων ἦν προσελθῶν. Quae ita vertit Justus Vultejus. Ipse cum sa-

tellitibus *U*no armatorum agmine *SCYTHIS.*  
*QUE SAGITTARIIS* omnibus progressus. Sic  
 Scythici arcus & sagittarum (f) meminit  
 Theocr. Idyll. XIV. vs. 56.

Ωχετο Μαιωτισι λαβων ἐνκαμπτα τοξα.  
 Ubi Scholiastes ; Μαιωτισι, ἦθοι Σκυθισι, Μαιω-  
 τιη οι Σκυθαι περιοικουντες την Μαιωτιν λιμνην.  
 Εχρητο δε Ηρακλῆς τοις σκυθικοις τοξοις, διδασχ-  
 ρεις ωδρα πινος Σκυθου Ταρταρου. Et Terent.  
 Maurus in L. de Rythmis statim ab initio.

*Ceu Parthus solet aut Scythes*

*Arcus cornibus extimis*

*Levem neetere lineam.*

Immo vulgare Scytharum insigne erat phare-  
 tra. Hinc Himerius Sophista apud Photium  
 Bibl. p. m. 1136. Abaridem Scytham scribit  
 Athenas venisse τοξα εχοντα, και Φαρετραν ἐμ-  
 μηνον εις ωμον. Et hinc columnae sepulchri  
 Toxaris Scythae insculptum fuisse virum τη  
 λαια μεν τοξον εχοντα εντεταμενον, τη δεξια δε βι-  
 βλιον, sinistra quidem arcum intensum habentem at  
 dextra libram testatur Luc. in Scytha T. I. p. 592.  
 (Idem in Toxari T. II. p. 37. τοξευειν αγαθου  
 ειναι Σκυθου scribit.) Telorum quoque Scy-  
 thicorum meminit Amm. Marcell. L. XXII.  
 c. 8. Plato L. IV. de rep. T. II. p. 795. Curt.  
 L. X. c. 1. Lucanus L. IX. Lycophron in  
 Cass.

(f) De peculiari forma arcuum Scythicorum vide Is.  
 Vosium ad Melam. p. 102. & Spanh. de Numism. T.  
 1. p. 326. Valesium & Gronovium ad Amm. Mar-  
 cell. l. c. Lips. in Poliorc. L. IV. c. 6.

Cass. vi. 917. ubi vide Isaacum (g) Tzetzen.  
Strabo L. II. p. 125. Aristot. de mirabilibus in  
fine.

§. 16. Vides itaque *Scythas* esse *Sagittarios*,  
vides quoque causam hujus denominationis.  
Sed quid haec, quaeris ad nomen Aramaeo-  
rum, quo Syrus usus est, faciunt? Dicam;  
Aramaeus idem est, quod Scythes sive Sagit-  
tarius. Quis enim nescit רמה Ebraeis, &  
Chaldaeis, uti ܠܘܝ Syris esse jaculari, emitte-  
re sagittas? Hinc Jer. IV: 29. רמה קשת, no-  
tat sagittarium, Lutherus vertit *Schützen*;  
Belgae *Boog-schutters*, & Pl. LXXVIII: 9.  
רומי-קשת, ubi pariter Belgae *Boog-schutters*  
habent. Sic רמה vel רומה notat spiculum, lan-  
ceam, seu talem lanceam, quam ejaculantur, un-  
de saepissime conjungitur cum scuto. רמיה קשת  
melius vertitur arcus jaculationis vel proje-  
ctionis, quam, quod vulgo fit, dolofus. A-  
pud Samaritanos מרמיה Gen. XXVII. 3. oc-  
currit & notat pharetram. Vix dubito hanc  
vocem referendam esse ad רום vel רום, quod  
scilicet sagittae in *altum* projiciantur. Illius-  
que vocis vestigia in aliis linguis vernaculis  
non prorsus desunt. Huc enim refero *fra-  
meam*, quae vox teste Tacito veteribus Ger-  
manis *bastam* denotavit, quaeque cum voce  
pfriem nos dicimus *preemen*, videtur esse ea-  
dem,

(g) Aut potius Johannem, Isaaci fratrem, hunc enim  
eorum scholiorum auctorem esse ostendit Lud. Ku-  
sterus in notis ad Suidam p. 423.

dem, nisi fortassis eam malis derivare à רום  
 scidit, discidit, & romphaeam, vel ρομφαεαν,  
 quam cum framea eandem esse veteres Glos.  
 sãe docent. Rumex, teste Festo, est genus TE.  
 LI simile spari Gallici, cujus meminit Lucilius, Tum  
 spara, tum rumices portantur fragula porro.  
 Προμηθεύς, jaculator occurrit apud Homerum  
 Il. Γ. v. 44.

§. 17. Cum igitur רומה notet jaculatorem  
 hinc factum ארומי, sive ארומי idque praefixo  
 ה vel א. Quod mirum videri nemini debet,  
 cum sciamus frequentissime illam literam א  
 praeponi, & quidem in nominibus propriis,  
 ab ה incipientibus. Sic Arimathaeam Lucae  
 XXIII: 51. Eusebius in Onomastico vocat ρα-  
 μα & Αεμα, quam alibi dicunt Ramam &  
 quam Josephus & scriptor Libri I: Macc. II: 34,  
 appellant Ραμαθα, Ραμαθημ. Ramoth urbem  
 Josephus videtur vocare Αεμανον L. IV. c. 7.  
 & alibi Αεγμαθα. Urbem הרמה Harama,  
 quae memoratur 2 Chron. XVI: 1. & 1 Reg.  
 XV: 17. eidem est Ραμαθων. Patria Samue-  
 lis רמתא Ραμαθα Suidae dicitur Αεμαθημ. Ra-  
 gab locum trans Jordanem Eusebius vocat Αε-  
 γοβ, Josephus Ραγαβα, qui forte est ארגב Argob  
 in Basan, cujus sacrae literae aliquoties memi-  
 nere pro quo Samaritanus scribit ריגובא Rigoba,  
 Illustris ille Scythes, vulgo Abaris dictus à  
 Scholiaste Aristoph. in Equites v. 727. voca-  
 batur Βαεμ in veteribus editionibus, licet nunc

posterior habeat *Αβεις*. Mons Thabor Josepho dicitur saepius *Αταβεις* vel *Ιταβεις*. *וַיִּבְנֶה* est à *וַיִּבַּע* *vastare*. Ita *Ram* Ruthae IV: 19. & I Par. II: 9. 10. Matthaeo I: 3. & Lucae III: 33. vocatur *'Αβειμ*. Vide si merentur, quae in hanc rem annotavi in diff. de *'Ονολ.* Judd. c. IV: §. 7. Unde ipse Relandus noster non dubitavit vocem hanc Aramaeus derivari ab Arabico *رومي Roumi*, i. e. Graecus.

§. 18. Fortassis etiam hujus vocis reliquiae relictae sunt, in Suecorum *Arimen*, qui iis sunt milites, qui sagittis utuntur, unde & *Odinum*, Martem, belli praefectum vocant *Arimader*. Inter convitia militaria, quibus Hungari, Scytharum progenies, sive per jocum, sive irati in hunc usque diem utuntur, frequentissime est *τὰ Armanyos*. Praeterea inter Scythiae populos numerantur passim, quorum nomen cum Aramaeorum vel Arimaeorum valde convenit. Eos Lucanus, Plinius, Solinus, Gellius, Strabo, Herodotus, Dionysius vocat *Arimaspos*, Orpheus vs. 1060. *Αριμασας*, Arrianus *Agriaspos*. Ammianus Marcellinus *Armephos*, ut in plerisque codicibus legitur. Herodotus, Mela, Solinus, Plinius, quoque mentionem inter Scythas faciunt *Arymphaeorum*. Et notandum in primis est, tradidisse veteres *Arimaspos* illos, quos passim vocant *Αρειμανεις* ή *Αρειμανις*, a peritia, qua pollebant, emittendi sagittas ita dictos, licet id plane  
alia


alia ratione instituant. Audiamus Eustathium Schol. Dionysii ad vi. 30. οἱ ἐθνῶν Σκυθικῶν οἱ Ἀρμασποῖ, καὶ τῆς οὗτος Ἀρμασπείας ἢ Ἀρμασπείας λέγει. Αἰχυλῶς δὲ μονωπῶν ἑρμηνεύει, διότι ΤΟΞΙΚΩΤΑΤΟΙ ὄντες ἐπιμύουσι τὸν ἕτερον ὀφθαλμὸν διὰ τὸ πρὸς τὴν βολὴν εὐσυχόν. Quod autem illam derivationem hujus vocis adinet, qua cum Eustathio Herodotus populos illos dictos ita tradit, quasi monoculos, à vocibus Scythicis, *arima* unum, & *spu*, oculus, vel *Ari*, unum, & *Maspos* oculus, ecquis non videt anilibus eam niti figmentis, & nihil ea esse ineptius? Neque illarum vocum significationis neque in veteri lingua Scytharum, neque in hodierna Hungarorum, Slavorum, Dacorum, Germanorum, Celtarum, Tartarorum, aut Turcarum ullum restat vestigium: Putem itaque in his nominibus antiquissimum Scytharum nomen, quo dicti sunt *Aramaei*, delitescere, addita tantum terminatione vel Germanica *ter*, (*Arimaster*) unde *Αρμασπαι*, vel Hungarorum *fi* vel *phi* (quae vox iis notat *filium*, *progeniem*, & saepissime nominibus familiarum additur, ut in *Palfi*, *Abafi*, *Banfi*,) unde factum *Arimaspi*, vel *Arimphaei*. Atque hoc jam suboluisse gaudeo *Otrokocsio* in Or. Hung. L. II. c. 13.

§. 19. Si quis tamen putet sibi rationes esse, propter quas ad nostram se accedere non posse sententiam putet, illi dijudicandum offero, anne Syrus per Aramaeos indicaverit

gentiles, quos Judaeis, tanquam ab eorum religione alienos voluerit opponere. Facit id enim alias. Sic illud Gal. II: 14. Ἐθνικῶς ζῆς, καὶ οὐκ Ἰουδαίως ita vertit; אֲנִי אֲשֶׁר אֲנִי אֲשֶׁר אֲנִי. Et Gal. III: 28. οὐκ ἐν Ἰουδαίᾳ, ἀλλ' ἐν ἑκλήνῃ, transfert: אֲשֶׁר אֲנִי אֲשֶׁר אֲנִי. Quod enim primi, qui in scriptura memorantur, idolorum cultores Thare, Nachor, & Laban essent Aramaei, sive Syri, hinc illa appellatio deinceps ad omnes idololatrias derivata est. Ita usurpat Onkelos אַרְמֵי Lev. XXX:47. Et in Gemara Babylonica Codicis עֲבוּבָה זֶרָה f. 26. n. 2. Cuthaeus medius ponitur inter Judaeum & Aramaeum, i. e. gentilem Idololatram. Ita posterioris aevi Rabbinos אַרְמֵי Aramaeos vocare non Judaeos, sive ei ethnici sint, sive Christiani, compluribus adductis testimoniis ostendimus in diss. de *Lapide fundamenti* cap. III. §. 27, quando ibi conjecturam proponebamus de etymo vocis אַרְמֵי, quo Judaei suum Anti-Messiam insigniunt, qui ita dictus videtur, quasi אֱלֹהֵי אַרְמֵי Deus *Arimaeorum*, i. e. gentilium. Sicut itaque Symmachus Gen. XIV: 1, 9. מֶלֶךְ נְוִיִּם Regem gentium vertit βασιλεὺς τῶν Σκυθῶν, Regem *Scytharum*, ita Syrus pro *Scytha* potuit scribere *Aramaeum*, i. e. gentilem. Sed heic scribendi nunc finem facio, postquam monuero, quod supra §. 3. neglexi, Josephum quoque populares suos Judaeos

infi-

insignivisse barbarorum nomine. Facit illud in prooemio L. de bello Judaico, ubi τὰς ὁμοφυλῶν suos Arabes, Babylonios, Parthos, A-diabenos, cisque Euphratem habitantes appellat τὰς ἀνω ΒΑΡΒΑΡΟΥΣ.



VI.

Vita

**JOH. HENRICI MAIL,**  
Theologi *Giessensium*  
celebratissimi.

**J**OH. HENRICO MAJO patriam natalesque Anno MDCLIII. die V. Febr. in Marchionatu Bado-Durlacensi *Pforzbe-mium*, insignis illius literarum in Germa-nia Instauratoris Joh. REUCHLINI na-tale solum, præbuit. Patrem ibidem nactus est, JO. GEORGIUM MAJUM, verbi di-vini ministrum in urbe patria; Matrem MAR-GARETHAM DOROTHEAM VZINIAM. Quum jam inde a prima ætate proderet ala-crem ad studia litterarum animum, quo ea-dem excolerentur, ab optimo parente, anno ætatis undecimo *Durlacum* est missus una cum fratre natu majore, JO. BURCHARDO, ma-turioribus annis illustris Gymnasii Durlacen-sis primum Professore & Bibliothecæ Præfe-cto,

cto, deinde Historiarum & Eloquentiæ Doctore Kiloniensi ordinario celeberrimo. Jam superatis inferioribus scholis ad publicas in Gymnasio prælectiones admissus erat, quum ductu JO. FECHTII in Metaphysicis, Ebraicis, Theologicis institueretur, in Physicis & Mathematicis Vir Cl. FLECKHAMERUS, in Logicis, Ethicis, Politicis & Historicis Cl. JO. GERHARDUS ARNOLDI, Rector postmodum celebris Gymnasii Mœno-Francofurtensis, fidelibus animum præceptis imbuerent. Quin etiam in hac Palæstra elaboratam suo Marte disputationem Philosophico-Theologicam, *De concursu DEI cum rebus creatis*, Præside modo laudato D. FECHTIO, publice defendit. Hinc An. MDCLXXI. Vitebergam profectus diligentissime ab ore pendit virorum fama illo tempore magna insignium, SCHURZFLEISCHII, quem in eloquentia & historia, STOLBERGII, quem in Græcis, ABRAHAMI CALOVII, JO. GEORGII GRENIJ atque JO. MEISNERI, quos in Theologicis Doctores venerabatur. Inter hæc patria bello misere vastata, quum satis præsidii a parentibus expectare non posset, apud exteros experiri fortunam in animum induxit. Meditabatur igitur iter in Sueciæ regnum, ipsique comitem se jungebat, ERLANDUS DRYSELIUS, Præpositus nunc in Ostro-Gothia Jonköepingensis. Hæc agitans consilia pervenit Hamburgum, ubi in ESDRAM

Class. V. Fasc. II. U EDZAR.


EDZARDUM incidit, & exinde Hafniæ ministri cujusdam aulici liberos erudiendos suscepit. Transigendo proinde ibi tempus hibernum frequenter interfuit summe venerabilis Episcopi WANDALINI, & Doctoris Theologi WITSLEBII prælectionibus, posthabito insuper itinere Suecico Hamburgum revertit, ubi ædibus exceptus Edzardianis, trium filiorum studia per biennium integrum est moderatus, quo tempore, quantum in linguis profecerit orientalibus, est perspicuum. Quamobrem mox Lipsiæ, confluentibus ad ipsum auditoribus plurimis, linguas docuit orientales, inde Vitebergam iterum se contulit, ubi a B. CALOVIO non solum humaniter exceptus, sed etiam ipsi cura unici filii est commissa litteratura orientali perpoliendi, qua occasione anno MDCLXXIX. sub illius præsidio *de veritate Christianæ Religionis contra Iudeos* potissimum disputavit. Tum Argentoratum profectus est, ubi SEB. SCHMIDIUM & BALTH. BEBELIUM præ aliis assidue audivit, & virtutibus ad ipsorum amicitiam aditum sibi facile aperuit. Quo factum, ut ipsi ad collegia publicam invitationem affigendi facultas concederetur, immo locus inter Professores offerretur, quem tamen, belli strepitus ibi locorum excitatione metuens, modeste declinavit. Interim Serenissimus Princeps Palatino-Veldentianus, LEOPOLDUS LUDOVICUS cujus tunc aula erat Argen-

Argentorati, a concionibus ipsum aulicis esse voluit, cui muneri quum per annum, & quod excurrit, præfuisset, a Serenissimo Marchione Bado-Durlacensi præco sacrorum ad S. Stephani templum & linguæ sanctæ Professor Durlaci est constitutus. Non ita multo post matrimonium ibi contraxit cum SABINA HELENA, illustris viri, MICHAELIS PRAUNII, magni Jcti & Consilarii aulici filia, cum qua liberos quatuor genuit, e quibus supersunt nobilissima & virtutibus decoratissima MARIA HELENA, ministro WILHELMO BALTHAS. WAGNERO verbi divini Crumstadeni, felici conjugio sociata, & vir Excellentissimus JO. HENRICUS MAJUS, vestigia magni Parentis feliciter premeus & exprimens, qui antiquitatibus, litteraturæ Græcæ, & linguis orientalibus docendis etiam nunc in Ludoviciana multa cum laude præest. Percrebuerat jam viri fama eruditæ scriptis, qui Durlaci vitam Jo. Reuchlini, *historiam animalium* & notas ad Cocceji Lexicon Ebraicum typis exscribi curaverat. Itaque ad Professionem Academicam in sanctioribus linguis subeundam est evocatus, & quum a Serenissimo Marchione Badensi non illico dimitteretur, repetita vocatione clementissima anno MDCLXXXIX. advenit. Dum hæc agerentur, coram SERENISSIMO LANDGRAVIO Darmstadio-Hassiaci concionem tanto applausu habuit, ut ipsi supre-

mi aulicorum sacrorum Antistitis dignitas demandaretur. Quam quidem ea conditione suscepit, ut aula Giessæ (ubi tum morabatur) valedicente, sibi pace PRINCIPIS liceret in Academia manere & munere Professoris fungi. Annuente SERENISSIMO & vix elapso anno Darmstadium se recipiente, noster docendo partes suas in Academia fideliter implevit, & vitam cum meliori commutante viro celeberrimo B. KILIANO RUDRAUFFIO, locum illius & venerabile munus obtinuit. Quin etiam in muneribus hic sibi collatis sic adquevit, ut statim post adventum sibi decretam Generalis Superintendentis in Frisia orientali spartam, deinceps a potentissimo Rege Borussiae, Consilarii Ecclesiastici & Praepositi Berolinensis, denique a Serenissimo Holsatiae Duce, Theologi primarii & Procancelarii Academiae Kiloniensis, oblatas dignitates, illis postponere non dubitaret. Ceterum mortua prima conjuge duxit alteram anno MDCLXLII. praestantissimam matronam, ANNAM CLARAM HOFMANNIAM, ANTONII RAUMBURGERI, J. V. Licentii & Grammatei Francofurtensis viduam, ex qua liberos quatuor suscepit, qui pariter cum matre anno MDCCXVI. extincta, omnes ipsum morte praecesserunt. Tandem anno MDCCXVII. tertio auspiciati conjugii vinculo vitae sociam elegit, virginem omni virtutum genere ornatissimam, SOPHIAM MARGARE.

GARETHAM, viri admodum reverendi & doctissimi, M. JO. CHRISTOPHORI HOLTZHAUSII, Ecclesiastæ Francofurtensis meritissimi filiam, quæ maritum tam mature sibi ereptum innumeris lacrimis profequitur. Nimis longum foret de summo magistratu Academico, quo ter functus est, de munere Decani ordinis Theologici & Philosophici, quod sæpissime subiit, pluribus hic agere. Illud vero silentio non prætereundum, summe venerabilem virum in exposito jam cursu rerum, discendo & docendo, ore scriptisque nervos omnes intendisse, ut se atque alios, ut urbem & orbem viva fide & Christi cognitione bearet, ut nullum non studii vitæque genus ad voluntatem & honorem Dei componeret, ut denique viam cunctis monstraret, DEO puro corde, salva conscientia, minime fucata fide serviendi. Quo ipso quidem artem bene vivendi præclare complexus est, cum eademque artem bene moriendi conjunxit, quando ab hac vivendi & docendi consuetudine usque ad extremum vitæ halitum non discessit. Colluctatus is erat jam aliquot abhinc annis cum magna corporis imbecillitate, anno 1718. etiam inflammatione renum ingentem dolorum vim passus. Hujus initia mali die XXXI. Augusti a. 1719. cœpit iterum sentire, quod ante vespeream diei I. Septembr. sic creverat, ut profiratis prorsus viribus, concutiente debilitatum

tum corpusculum tussi & vomitu liquoris sanguinei, bilioli, purulenti, vomitam ruptam esse nemo dubitaret. Licet vero experientissimi Medici strenue morbum oppugnarent, ne vitæ arcem expugnaret, omni tamen spe excidebant, quum, viribus collabentibus, non amplius liber exitus ejiciendis concederetur. Quo facto ad mortis statum, quo vix ullum vidisses placidiorem, omnibus dispositis die Dom. XIII. post. Trin, quum hora undecima meridiem instare indicasset, optimus senex, inter preces adstantis Collegæ, D. JO. CHRISTOPH. BIELENFELDII, supremi sacrorum in Ecclesia & Academia Giessena Antistitis, animam e vinculis suis dimisit, postquam vivendo annos LXVI. & dimidium explevisset.



VII.

CATALOGUS OPERUM,  
à  
**JO. HENRICO MAIO,**  
editorum.

I. LATINE.

I.

**A**nimalium in sacro cum primis codice memoratorum Historia. Durlaci 1685. 8.

2. Vita

2. Vita Joh. Reuchlini, Phorcensis. ibid. 1687. 8.
3. Dissertationes Sacrae, in quibus Selectiora V. T. oracula secundum seriem Locorum Theologorum explicantur; cum selectioribus Dissertt. IV. de Scriptura S. Gissæ, 1690. 8.
4. Examen Historiæ Criticæ Textus Novi Test. P. Richardi Simonii, ibid. 1694. 4.
5. Synopsis Theologiæ Symbolicæ Ecclesiarum Lutheranarum ex omnibus libris Symbolicis eorundemque verbis propriis ordine Systematico adornata, ibid. 1694. 4.
6. Præfatio εἰσὺν ἰστορίῳ in Synopsin Criticorum Matthæi Poli, qua
  - a. Hujus Operis dignitas & utilitas ab iniqua nonnullorum censura vindicatur:
  - b. Brevis & dilucida ad studium Philologicum atque Exegeticum via monstratur, ejusque subsidia e Synopsi ostenduntur.
  - c. Judicia de singulis in Synopsi citatis Autoribus modeste feruntur, Francofurti ad Moen. 1694. 4.
7. Biblia Hebraica D. Dav. Clodii recognita, ibid. 1692. 8.
8. Synopsis Theologiæ moralis, per omnes locos Theologicos, ad normam Scripturæ S. & ductum Librorum Symbolicorum adornata, Gissæ, 1697. 4.
9. Synopsis Theologiæ Judaicæ, Veteris & Novæ, in qua illius veritas hujusque falsitas ex S. Hebræo Codice & ipsis Judaicæ

- Gentis Scriptoribus antiquis & novis, per omnes Locos Theologicos ostenditur, *ibid.* 1698. 4.
10. *Introductio ad Studium Philologicum, Criticum & Exegeticum*, in qua simul *Jo. Clerici Ars Critica*, & *Marci Meibomii Novum Specimen Biblicarum emendationum & interpretationum* examinatur, *ibid.* 1699. 4.
11. *Epistolæ ad Hebræos Paraphrasis*, sic adornata, ut justi *Commentarii Locum* expleat, quum *Analyfin textus, Exegesin rerum & Emphasin vocum* succincte exhibeat, *ibid.* 1700. 4.
12. *Sebast. Castellionis Dialogorum L. IV.* in usum *Scholarum Christianarum* recensuit, & *Dialogum de fide* addidit, *ibid.* 1699. 8.
13. *Theologia Evangelica*, ex *Pericopis Evangeliorum Dominicalium & Festivalium* eruta, & ita comparata, ut post *Analyfin, Harmoniam & Exegesin* *Locus Theologicus Theoretice & Practice* pertractetur, *ibid.* 1701. 4.
- Ejusdem *P. II. & III. & IV.* a. 1719. in 4. prodiit.
14. *Hieronimi Welleri Methodus concionandi* cum *brevibus notis*, *ibid.* 1701. 8.
15. *Animadversiones & Supplementa ad Joh. Cocceji Lexicon & Commentarium Sermonis Hebraici atque Chaldaici*; in quibus non tantum *radices deperditæ in Hebr. Lingua* ex *Chaldaica, Syriaca, Arabica, & Æthiopica*, magno numero restitutæ sunt; sed etiam

- etiam Idiotismi non pauci observati, & obscura loca dilucide explicata reperiuntur. Francof. 1689. Secunda editio prioris auctior. Francof. 1703. f.
16. Novum Testamentum Græcum & Græco-Germanicum Locis vere Parallelis illustratum atque auctum. Gissæ, 1705. 12.
17. Epistola ad D. Jo. Frid. Mayerum, qua calumniæ crimen, inique sibi impactum, modeste abstergit, & suam pariter famam & officium ab obtrectationibus aliis vindicat. ibid. 1705. 4.
18. Oeconomia Temporum Vet. Test. exhibens gubernationem DEI inde à mundo condito usque ad MESSIÆ adventum, per omnes antiqui Hebr. Codicis Libros, secundum seriem sæculorum & similitudinem rerum. ib. 1706. 4.
19. Synopsis Theologiæ Christianæ, ex meritis verbis Christi eruta & demonstrata. ib. 4. anno 1707.
20. Oeconomia Temporum Novi Testamenti exhibens gubernationem DEI in Ecclesia ab adventu MESSIÆ usque ad finem mundi, 1708. 4. ibid.
21. D. M. Lutheri Theologia pura & sincera, ex Viri divini Scriptis universis, maxime tamen Latinis, per omnes Articulos fidei digesta & concinnata A. 1709. 4.
22. Theologia Prophetica, ex selectioribus Veter. Testamenti Oraculis secundum seriem

Locorum Theolog. dispositis, ita explicata, ut usus Philologiae in Theologia amplissimus, ejusque abusus novorum Criticorum dilucide ostendatur, & βεβαιότερον λόγῳ προφητικῳ solide firmetur. Accessit Theologia Davidis, Jesaia, Jeremiae & XII. Prophetarum minorum A. 1709. 4.

23. *Harmonia Evangelica* omnium dictorum & factorum J. C. usque ad pascha Συνοψισμῶν, quinque partibus comprehensa, itaque concinnata, ut monatesaron, s. unum continuum Evangelium ex quatuor Evangelistis, perpetua paraphrasi sistatur ac illustretur & ex singulis capitibus atque commatibus cognitio veritatis & praxis pietatis ostendatur. Francof. 1707. 4.

24. *Oeconomia Judiciorum divinorum* per omnes S. Codicis libros secundum seriem seculorum & similitudinem rerum adornata atque digesta. Francof. P. I. 1707. P. II. 1713. P. III. 1714. P. IV. 1717. in 4.

25. *Historia Reformationis* ex D. Martini Lutheri, aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta, & Supplementa ad Theologiam Lutheri nuper editam. Francof. 1710. 4.

26. *Historia Reformationis* per V. & N. Test. libros digesta & ad reformationem D. Lutheri applicata. Francof. 1718. 4.

27. *Theologiae Symbolicae*. Editio altera auctior Francof. 1719. 4.

28. *Selectiorum exercitationum philologicarum & exegeticarum Tomi II.* Præmittitur introductio in studium Philologicum, exegeticum & Criticum. Francof. 1711. 4.

Continent hi tomi fere omnes dissertationes, quarum indicem heic habes.

## DISPUTATIONES

Theologicæ & Philologicæ sub  
ejus præsidio habitæ.

### INAUGURALES PRO LICENTIA.

De pietate Heroica, Jo. *Molin*, Suecus, nunc  
S. Theol. Prof. primar. in Acad. reg. Upsali-  
ensi. A. 1692.

De Δοξιαστικῆ fidei hominis vere Christiani &  
2. Cor. XIII: 5. Jo. *Folcher*, Suecus, nunc  
Prof. Th. primar. A. 1695.

De Idololatria crassa & subtili, M. *Israel  
Clauder*, postea Inspector Darmstadinus,  
mox Pastor Halberstad. nunc Superinten-  
dens *Bilfeldensis* in *Guestphalia*.

De erroribus fanaticorum quorundam, circa  
lumen naturæ hoc tempore exortis. M.  
*Wolfgang Joh. Græper*, Stasf. Magdeb. vo-  
catus Superint. & Consil. Eccles. Turck-  
heim, in Comitatu *Leiningensi* A. 1709.

### PRO MAGISTERIO.

De Lustrationibus & Purificationibus Hebræo-  
rum,

- rum, contra Joh. *Spencerum*, Andreas Kem-  
pfer, Lemgou. Guestphalus, Giess. Pæd.  
Præceptor, nunc Pastor Billertshufan. A.  
1692.
- Positiones Philosophicæ Joh. Balth. *Junghans*  
Giess. nunc Præceptor Pæd. ibid. A. eod.
- De aquila Romana Cadaveri Judaico infesta,  
ex Matthæi XXIV: 28. & Luc. XVII: 27.  
Joh. Alexander *Bichmann*, Dautpha Hassus,  
nunc Pastor ibidem. A. eod.
- De genuina Philosophiæ Dispositione, Joh. An-  
dreas *Bondzelt*, Gissa Hassus, nunc Med. Li-  
centiatus & Practicus A. eod.
- De Salis usu Symbolico apud sacros & profa-  
nos Autores, Phil. Wilhelmus *Geilfusius*,  
Butisbacensis, nunc Pastor Heuchelheimiæ  
prope Gissam A. eod.
- De Ephemeris sive Sacerdotum Ebræorum  
Classibus, ex 1. Paralip. XXIII. XXIV. &  
Luc. I: 5. & 8. Phil. Georg *Wicht*, Ullinga  
Nassovicus, nunc Pastor Bibesheimensis A.  
eod.
- De purificatione mirabiliter singulari, & singu-  
lariter mirabili, ex Jes. X: 16. 55. & Psal.  
LI: 9. Henricus *Cneselius*, Ecclesiæ Batte-  
bergensis Pastor & Metropolitanus A. 1639.
- De Linguarum Teutonicæ, Latinæ, Græcæ  
atque Hebrææ, addiscendarum facili ratio-  
ne, earundemque secreta convenientia,  
Georg Christ *Bürchlin*, Durlacensis Pæd.  
Giess. Præceptor, A. eodem.

- De clave cognitionis ad Luc. XI: 51. *Adrianus Preußmann Livonus* 1695.
- De Philothesiis veterum Hebræorum, Græcorum & Romanorum, *Georg Adamus Junck/ Erpacensis* 1696.
- De juramento per dolum elicitō, ex Jos. IX. *Æbeling/ nunc Professor Rintelensis.*
- Sophia exul, Jo. Melch. Hæcker, Scholæ Lich. Corrector,* 1698.
- De consuetudinis antiquæ antiquatione, 1. Sam. II: 3. Ant. Dan. *Stockhaussen/ nunc Pastor Gladenbacensis* 1706.
- De calculo albo, victoriæ contra Nicolaitas, tessera, ad Apoc. II: 14. 15. *Christ. Ludw. Stumpff, Stipendiat. Major, nunc Pastor Niddanus, A.* 1706.
- De Manna triplici ex Scripturæ & Naturæ libro, occasione Apoc. II: 17. *Joh. Frid. Mickelius, nunc Rector Darmstad.* 1706.
- Philosophia Jobi Arabica, conscripta a Joh. Justo Lofio. Hildesiensi,* 1707.
- Sciagraphia Scholarum Prophetarum, Maurit. Dan. Soldan, Præceptor Pæd. Giff.* 1707.
- Specimen Philosophiæ Mosaicæ, thesibus quibusdam subitariis comprehensum a Joh. Georgio Rüdigerō, Pæd. Giff. Præceptore,* 1707.
- De pietate Cyri Regis Persarum, ex Jes. XLV: 1. 55. *Nicol. Kuhlmannus, A. eod.*
- De custodia cordis ex Prov. IV: 20. *Joh. Christianus Eckhardus, Megalindana Hassus. A. eodem.*

- De jure anni septimi, secundum disciplinam  
Hebræorum, ad diversa Codicis S. loca illu-  
stranda, Jo. Henricus *Majus*, Fil. 1707.
- Sciagraphia Philosophiæ Abrami, Joh. Georg.  
*Nebelius*, Pastor Palæobusecanus, A. eod.
- De nomine Jehova, Joh. Dan. *Vietor*, Triburio  
Rhenanus, A. eod.
- De *Πευδονύμω γνώσει*, seu falsa eruditione, ad  
I. Tim. VI: 20. Joh. Mart. *Schad*, Geravia  
Rhenanus, nunc Rector & Symmysta Alsfel-  
densis eod. A.
- De Archisophia, ex Proverb. VIII: 30. Joh.  
Conr. *Marquardus*, Wetteravus 1707.
- De Kiun & Remphan, ex Amos V. & Act. VII.  
Joh. Daniel *Sartorius*, Bibesheimensis 1707.
- De Adamo inter mortales homines primo,  
Joh. Nicol. *Langsdorff*, Weilburgo-Naffovi-  
cus, nunc Rector Scholæ Wezstar. 1708.

ALIÆ.

- De Utopia Sophiæ & Labyrintho Moriæ, Joh.  
Jac. *Shmoll*, nunc Pastor Berstad. A. 1670.
- Constans & invariata Confessio fidei Eccles.  
August. Confess. contra Jacobi Benigni *Bos-  
sueti*, Tr. Histoire de variations des Eglises  
Protestantes. M. I. B. *Starckius*, Mœno-Fran-  
cof. nunc Pastor ibid. A. 1690.
- Super dicto Matt. V: 21. 22. J. Justus *Lüncker*,  
Hamb. 1692.
- Theologia *Davidis*, quam ex ejus vita & præ-  
fertim Psalmis secundum seriem Locorum  
Com.

- Communium thetice concinnavit Her.  
*Krochmann*, Hamb. nunc Past. Osnabr. 1693.
- De ratione in rebus fidei suo modo & cæca &  
 occulta, Joh. Casp. *Dunckerus*, Trarbaco-  
 Mosellanus, A. 1695.
- Depropitiatorio, Jo. Balth: *Werner*, 1695.
- Theologia *Jeremiana*, ex *Jeremiæ* vaticiniis, La-  
 mentationibus juxta Articulorum fidei or-  
 dinem, per theses collecta à *Benedicto*  
*Henrico Thering*, Coloniensi Marchico, An-  
 no 1703.
- Theologia *Jesaiana* ex toto volumine *Jesaiæ*  
 vatis, eodem modo delineata à *Christoph.*  
*Henr. Dornemann*, Hamb. 1704.
- Ecclesiæ *Judaicæ*, testantis de canone V. T.  
 auctoritas atque fides, ex Rom. III:12. *Georg.*  
*Albert. Kühnerus*, Memmingens. 1689.
- Orientalium Linguarum usus catholicus, Jo.  
*Henr. Majus*, Fil. 1704.
- De Simplicitate Christiana, *Conr. Burch. Weis-*  
*ninger* / nunc concionator Aul. *Durlac*. A.  
 1697.
- De amicitia inter Deum & homines ad *Jac. II:*  
*23.* *Christoph. Mauritius*, Pastor *Havingens.*  
 prope *Basileam*.
- De unico Theologiæ Principio, *J. Conr. Creuzer*,  
 1706.
- Apocalypsis Regni DEI in anima fideli, *Ge-*  
*org. Matth. Weyler* / nunc Pastor *Essendens.*  
 1696.
- De imagine veritatis fatidica & juridica, S.  
*Ebræo-*

Ebræorum Urim & Thummim, ex Exod. XXVIII: 30. 1696. Christoph. *Mauritius*.  
De Christo Sole justitiæ, e Mal. IV: 2. Joh. Frid. *Buhl*/ *Wimpfenensis*, nunc Diaconus in Patria 1705.

Apodixis Theologica de Theosophia fidelium universali ex 1. Cor. II. Cap. demonstrata, Jo. Phil. *Gottmann*/ *Wil.lunga-Waldecus*, A. 1699.

Diff. de summa Theologiæ Christianæ, sive mysterio magno Christo in nobis & pro nobis. Respondente Frid. Philipp. Jo. *Mullero*, 1714.

Diff. de pietatis specie atque virtute ex 2. Tim. III: 5. Respondente *Gebhard Zangio*.

Diff. de Mysterio Conversionis Judaicæ gentis ante mundi finem adhuc certo sperandæ, Respondente Christ. Theoph. *Raabio*, 1716.

Disharmonia doctrinæ protestantium & Romano-Catholicorum in Articulo de Justificatione contra Anonymum Timotheum *Philaletham*, Respondente M. *Sebastiano Fels*, 1719.

## II. GERMANICA.


1. Des *Johanna Arnds* IV. Bücher vom wahren Christenthum/ mit kurzen Gebetern über alle Capitel versehen/ Ed. 2da *Giessen*/ 1703. 12.
2. Der Christliche Pædagogicus oder Schüler in seinen Pflichten/ *ibid.* 1699. 12.
3. Christlicher Unterricht von der Confirmation

- der Kinder am H. Oster- und Pfingst-Montage in 3. Predigten vorgetragen/ *ibid.* A. 1703. 12. Ed. 2da.
4. Die allerbeste Weisheit der Christen insgemein/ und insonderheit der Studirenden/ in zweyen Reich-Predigten vorgetragen / *ibid.* 1699. 12.
5. Von der Christl. Einfalt im Glauben und Leben/ Anno 1700. 12. *ib.*
6. Von der Gelassenheit der gläubigen Seelen/ *ib.* A. 1701. 12.
7. Die sieben Buß-Psalmen aus und nach dem Haupt-Texte in Teutsche Reimen übersetzt/ *ibid.* 1706. in 4.
8. Die 7. Buß-Psalmen von Wort zu Wort erkläret 2c. 1713. in 8.
9. Geistl. Präservativ wider alle ansteckende Seuche aus dem 90. und 91. Psalm/ 1714. in 8.
10. Das güldene Kleinod Davids/ 1715. in 8.
11. Davidische Fest-Andachten aus denen herrlichen Prophetischen Psalmen/ die sich auff die hohe Feste schicken/ 1716. in 8.
12. Das geistliche Bergwerck in einer Predigt über Joh. V: 39. 1717. in 12.
13. Johann Arnds wahres Christenthum etlichmahl/ mit des seel. Hrn. D. Mayen Vortrede und auff jedes Capitel gerichteten Gebetern.
14. Martini Molleri Meditationes sanctorum patrum, cum præfatione Maji 1719.
15. Johann Müllers unvorgreiflicher Entwurff/ Class. V. Fasc. II. X

wurff/ wie mit den Juden freundlich umzuge-  
hen/ 1716. 4.

16. Petri Lamberg Harmonia Evangelica, cum  
praefatione J. H. Maji, 1719. 4.

17. Neujahrs- Wunsche/ in gebundener Bedu-  
sammit vielen Leich- Predigten.



VIII.

*Gerhardi Eobani GEL-  
DENHAURII,*

*Epistola Irenica*

*ad Ecclesiae Emdanae Ministros,*  
cum prolegomenis

*EILHARDI FOLCARDI HAR-  
CKENROTHII,*

*Ecclesiastae Emdensis,*

&

*THEODORI HASAEI,*

*in quibus de illius epistolae auctore, au-  
ctoris Patre, occasione & scopo differitur.*

§. I.

**U**T hujus epistolae B. L. cujus copiam  
exhibemus, & ob rationem non  
unam typis excudi desideravimus,  
ratio

ratio & autor tibi constet; brevem autoris  
 Προσωπογραφίαν dabimus, fontemque hujus  
 diffidii inter pastores, scriptique causam & oc-  
 casionem aperiemus.

§. 2. Parens ejus fuit *Gerhardus Geldenbau-  
 rius*, *Noviomagus* scriptis clarus & in epistolis  
 Erasmi Roterodamensis non semel *Vulturius* (a)  
*Neocomus* dictus, primum *Philippo Burgundo*  
 principi & diceceseos *Ultrajectinæ* Episcopo  
 1522. à Secretis, Cæsarique *CAROLO* *Quin-  
 to* à Consiliis & historiis, demum post renatum  
 Dei gratia Evangelium in Academia *Marpur-  
 gensi* Theologiæ Professor fuit, in qua statio-  
 ne X. Jan. 1542. etiam mortuus; & cujus se-  
 pulturam *Niclaus Rodingus* his versibus ornavit:

X 2

Hic

(a) Quænam autem sodes illius denominationis ratio?  
 Apparet illa ex iis, quæ ipse Erasmus ad *Eleuthe-  
 rium* scripsit L. XXXI. ep. 48. *Quam porro candide in-  
 terpretaris nomen Vulturii, quasi illi intendam avari-  
 tiæ crimen? Sed si nesciebas Vulturium esse jactum ta-  
 lorum, saltem scire poteras me alluisse ad verum illius  
 nomen juxta linguam Germanicam. Id eo feci, ut apud  
 pauciores traduceretur. Scilicet alludebat, ad præ-  
 nomen Gerhardi, quasi *Gieraerd*, h. e. e genere *vultu-  
 rum*. *Gier* enim Belgis est vultur, ut Germanis  
*Geyer*. Miror tamen hoc nomen Erasmus expro-  
 brasse *Geldenhaurio*; potuisset enim ex lege talionis  
 eum appellare *Vulturium Vulturii*, atque ita ejus ve-  
 rum nomen, quod fuit *Gerhardus Gerbardi*, Belgice,  
*Geert Geertzen*, exprimere. Ceterum idem *Vul-  
 turii* nomen sibi imposuit *Gerhardus Joannes Vosius*,  
 quando se vocavit *Vulturium Gratianum Bassarium*,  
 quibus verbis nomen ejus contineri linguarum periti  
 facile intelligent. T. d. H.*

Hic Noviomagi requiescunt Membra Ger-  
hardi,

Juxta hunc *Andreas* conditur *Hyperius*.  
Ut pia doctrinae concordia junxerat ambos;  
Sic idem amborum contegit Ossa locus,  
Quos sociat tumulus, sociabunt caelica  
regna,

Ut capiant fidei praemia justa suae.

„[§. 3. Fuit hic *Gerhardus GELDENHAU-*  
„*RIUS*, *Noviomagus*, sub nomine *Gerhardi* (b)  
„*NOVIOMAGI* vulgo notus, Poeta, Histo-  
„ricus ac Theologus cum praestantissimis sui  
„aevi comparandus. Monachus primum or-  
„dinis Cruciferorum, Lovanii philosophiam  
„docuit. A Maximiliano Caesare laurea poe-  
„tarum a. 1517. ornatus. In aulis magnorum  
„principum *Caroli* Austriaci, deinde Impera-  
„toris, *Philippi* Burgundi, *Ultrajectensium*  
„*Praesulis*, & *Maximiliani*, e *Burgundiae* Du-  
„cibus diu vixit, eorumque a sacris, à lectio-  
„nibus, a secretis, ab historiis fuit. Postquam  
„a. 1526. *Witebergam* Saxonum migrasset,  
„ibi purioris religionis gustu imbutus est, at-  
„que

(b) Nomen hoc a patria, vetustissimo Batavorum oppi-  
do Neomago traxit. Unde corrigendum est facetur  
celeberrimi *Du Pinii* sphaema, qui nuper in *Bibliotheca*  
*Auctorum Protestantium* verba *Melchioris Adami*;  
*Gratisimus Hyperii adventus Noviomago accedit*, ita  
intellexit, quasi narraretur *Hyperium* in urbem,  
*Noviomagum*, venisse; Quod quidem *αμαρτυρος*  
prorsus est ejusdem generis, cujus sunt illa, quae su-  
pra p. 278. adduxi. T. d. H.

que hinc redux apud Vangiones, & Argentoratenses aliquandiu substitit. Deinde Augustae Vindelicorum rector primus scholae D. Annae constitutus, ibi poetice, & quidem stipendio LX. florenorum, ut ex Erasmi epistola 56. L. XXX. disco, docuit. Deum ab a. 1534. historias & Theologiam in academia (c) Marpurgensi professus est, donec sub auspiciis anni 1542. (d) peste extinctus desineret vivere. Plura de eo cogniturus adeat G. J. VOSSIUM de hist. Lat. p. 587. Valerium ANDREAM in Bibl. Belgica p. 273. Melch. ADAMUM in Vitis Theoll. p. 93. sqq. Franc. SCHWEERTIUM in Ath. Belg p. 279. Paulum FREHERUM in teatro p. 114. Ant. MATTHAEI in praef. Anal. quae Lugd. B. a. 1698. prodire. Petrum BAELIUM in Diction. & Burch. Gotth. STRUVIUM in praef. T. III. script. RR. Germ. Freherip. 218. sqq.

§. 4. Non ingratum Lectori fore auguror, si catalogum illi exhibuero illorum scriptorum,

X 3

(c) Corrige itaque *Lexici Germanici Eruditorum* p. 802. ubi *Magdeburgum* loco Marpurgi legitur. T. d. H.

(d) Errat itaque Valerius *Andrae*, qui scribit, eum, cum *Wittenbergam* iter institueret, à *Latronibus confossum*, *fisso securi capite misere periisse*. Neque id indicant, verba, quae adducit, Reinhardi *Lorichii* Hadamarii in schol. ad *Aphthonii* progymn. qui quidem narrat, in itinere ad *Wittenbergenses*, a. 1526. *eius caput Latrones securi diffidisse, ipsumque apud Brunonis vicum hami stratum spoliavisse, & fugitivos mortuum credentes in silva reliquisse*, sed illo tum tempore isto vulnere extinctum fuisse non scribit. T. d. H.

rum, quibus ad nominis celebritatem adspi-  
 ravit, quod talis a nemine cum aliqua cura  
 sit consignatus. En illum! *Historia Batavica*,  
 cum appendice de *vetusta nobilitate, Regibus ac*  
*gestis Germanorum*, primum edita Antw. a. 1520.  
 4. Deinde saepius recusa Argentor. 1532. 8.  
 Marp. 1533. 4. Franc. 1572. 8. In opere histori-  
 co, quod prodiit Basileae a. 1541. 8. pag. 101-  
 195. Adhaeret J. *Wimphelingii* Epitomae re-  
 rum Germanicarum, Han. 1594. 12. & B.  
*Rhenani* Germanicis editis Argent. 1610. 8.  
 Exstat pariter in P. *Scriverii* *Batavia illustra-*  
*tâ*, editâ Lugd. B. 1609. & 1611. 4. ubi & in-  
 veniuntur ejusdem *insignium locorum ac oppi-*  
*dorum Bataviae nomina*, & *Germaniae inferioris*  
*loca aliquot declarata*, & epistola de *situ Selan-*  
*diae*, & lucubratiuncula de *Batavorum insula*,  
 quae etiam cum in editione Argentinenfi  
 tum Francofurtensi a. 1532. ubi *Bilibaldi*  
*Pirckheimeri* *Germaniae* sunt addita, legeban-  
 tur.

Recusa quoque est Colon. 1541. 8. cum epi-  
 stola ad *Guilielmum Geldriae principem gra-*  
*tulatoria de principatum suorum adeptione* & ad-  
*monitoria de officio boni Principis*. Huic editio-  
 ni accessere *Chrysofomi Neapolitani* de situ  
 & moribus *Olandiae* epistola, & *Gerh. Li-*  
*strii* *sylvulae de dioecesi Ultrajectina*, &c.

*Vita Clarissimi olim Principis PHILIPPI à*  
*Burgundia, boni Philippi Burgundionum Ducis filii,*  
 in qua non paucis locis *Christiani Principis exem-*  
 pla

pla proponuntur, & origo belli inter episcopum  
 Ultrajectinum & Carolum Geldrorum inseritur.  
 Argentor. a. 1529. 8. Dicitur hic libellus  
 Margarae Austriacae, eique praefixa est  
 Emondi Dinteri Genealogia ducum Brabantiae,  
 Burgundiae Flandriae & Hollandiae. Antonius  
 Matthaei, celeberrimus Juris in academia  
 Lugdunensi Antecessor, cum putaret ab eo  
 tempore nunquam recusum, neque ullum exemplum  
 exstare, iteratam editionem ejus curavit, suis-  
 que veteris aevi *Analectis*, pag. 213-355. il-  
 lustratam notis suis & observationibus inse-  
 ruit. Potuisset facile scire, Marquardum  
 Freherum inter scriptores rerum Germani-  
 carum, tomi tertii voluisse exstare, unde &  
 in hujus operis editione Argentoratensi, quam  
 vir de literaria re optime meritus B. G. Stru-  
 vius ante triennium curavit feliciter, denuo  
 legitur.

Scholia in *Dialecticam Georgii Trapezuntii*; Col.  
 1538. 8.

Desiderii ERASMI, *Annotationes in leges Pon-  
 tificias & Caesareas de Haereticis, nec non episto-  
 lae variae Gerhardi NOVIOMAGI de re evan-  
 gelica & Haereticorum poenis, ad Carolum Imp.  
 ad Germaniae Principes in conventu Spi-  
 rensi, ad Carolum Geldrorum Ducem, ad  
 Philippum Hessorum Principem &c.* Argent.  
 1527. 8. Hic liber est, qui animum Erasmi,  
 quo alias Geldenhaurius, ut ex literis editis  
 ultro citroque datis apparet, valde amico

„fuerat usus, ab eo prorsus alienavit, ansam-  
 „que illi praebuit notam illam in *Pseudevange-*  
 „*licos* epistolam, plenam atrae bilis & scom-  
 „matum conscribendi, quae separatim pri-  
 „mum edita, deinde in epistolarum Eras-  
 „mi volumine L. XXXI: ep. 47. locum in-  
 „venit. Responderunt illi tamen Argento-  
 „ratenses, Sleidano & Sculteto commemo-  
 „rantibus.

„*Cometes*, Caesari inscriptus. Hunc librum  
 „edidisse è citata modo Erasmi Epistola con-  
 „jicio.

„*Catalogus Episcoporum Ultrajectinorum*, Mar-  
 „purgi, 1542. 8. Hic ab eo magis e sermone  
 „vernaculo translatus, quam scriptus videtur,  
 „& recusus est Francof. 1585. 8. adjectus Bar-  
 „landi similis argumenti libro, & rursus Scri-  
 „verii Bataviae illustratae insertus.

„*Encomium Neomagi*, patriae suae citat  
 „Melchior Adami; Sed hoc nihil aliud est,  
 „quam carmen XXI. versuum, quod in Saty-  
 „ris ejus primum lectum, deinde *Hist. Bata-*  
 „*vicae* adjectum & à Johanne Smithio Novio-  
 „mago suo p. 155. insertum est.

„*Hadriani Barlandi*, Hollandiae Comitum  
 „*historia & Icones* auctore Gerardo NO-  
 „VIOMAGO, Lugd. B. 1584. f.

„*Vita Rudolphi AGRICOLAE*; in vitis à Jo-  
 „hanne Fichardo editis; Francof. 1536. 4.

„Hic quoque legitur *vita Wessëli Gansfortii*  
 „depromta ex libro primo *illustrium virorum*

„Ger-

„Germaniae, sed horum nihil quidquam pro-  
diit.

„Uti neque lucem adspexit ullus *septem libro-*  
rum *suae aetatis historiarum*, quos ad incudem  
revocavisse scribit in dedicatione praefixa  
Philippi Burgundi vitae; ut nunc alia ex  
aliis linguis ab eo conversa taceam. T. d. H.]

§. 5. Magni istius viri proles fuit noster  
Gerhardus Eobanus Geldenbaurius, vir venerabi-  
lis & Praestans, nec proletariae eruditionis, &  
in re sacramentaria exasciatus, teste Ubbone  
Emmio in M. S. de vita Mensonis Altingii p. m.  
133. „Altingius communicato cum colle-  
gis consilio, & ex his cum Gerardo Gelden-  
baurio potissimum, conjuncta opera, viro  
insigniter erudito & controversiarum Sacramen-  
tariarum inprimis gnaro, universam eam rem  
perspicue & breviter scripto concepit, eique  
nomen dedit: *Historischer wahrhaftiger Be-*  
*richt und Lehre Göttliches Wortes / von dem*  
*gansen Streit und Handel des heiligen Abend-*  
*mahls &c. durch die Prediger der Christlichen Ge-*  
*meine zu Embden.* „Hunc libellum, qui le-  
gendum censendumque ab authore accepe-  
rat Clar. Theol. Doctor Christophorus Pezelius,  
cum eum perquam utilem futurum non so-  
lum huic regioni, sed etiam toti Germaniae  
judicaret, ad initium anni MDXC. typis Bre-  
mae subjecit atque in lucem emisit ornatum  
praefatione sua, postea saepius recusum etiam  
Herbornae apud Christophorum Rabenium  
MDXC, X 5 §. 6.

§. 6. Primitus noster *Geldenhaurius* per annos aliquot *Herbornæ* pastor istius Ecclesiæ fuit, deinde apud *Leeranos* legatione Christi causa functus, etiam *Præses* aut *Actuarius* Cætus Leerani, ut ex hac epistola conjicio, electus inde Emdam vocatus 1584. d. 21. Aprilis, dimissionem ab Ecclesia Leerana obtinere non potuit, nisi Emdani propriis suis sumptibus *Petrum Gellium de Bouma*, *Gellii Fabri* quondam Nordani & Emdani pastoris filium, ex captivitate Zutphaniensi 1583. pretio redemptum & Hagæ Comitum Ecclesiæ inservientem, exinde evocatum cum suis Leeræ sisterent, quibus fideliter peractis *Geldenhaurius* Pastorum Emdanorum ordine quintus, *Erasmo Johanni* successit, & Emdæ habitaculum suum fixit die 8. aut 9. Septembris.

§. 7. Ministerium ejus Emdæ, volente id Edzardo Comite, potissimum adstrictum fuit templo Xenodochii, in quo singulis diebus dominicis horis antemeridianis publicè docuit per sex annorum spatium, anno autem 1590. in Palatinatum evocatus die 8. Jan. 1591. Emdâ decessit, & *Eltie ad Nicrum* superstes 1606. die 5. Septembris quadragesimo sexto Ministerii sui anno, epistolam nuncupatoriam Ecclesiæ & Reipublicæ Emdensi inscripsit, præfixam operi ipsius in textus Dominicales, Emdæ explicatos, quod 1652. Francofurti ad Mœnum typis est editum, etiam laudatum à *Clar. Burmanno* in Consilio de studio

dio Theol. in Calce Synopseos cap. 3. p. m. 684. (e) Circa annum 1606. *Eltia ad Nicrum* mortuum fuisse verisimile est. Ex liberis ejus Emdam rediere cum filia, nupta cuidam Luitjen Speldemaker, tum filius *Gerhardus*, cui anno 1607. (quo tempore NB. etiam multi ex Palatinatu Emdam profecti reperiuntur,) ut exsuli, suadente Rotgero Biermanno Pastore Emdensi, XII. florenos à Diaconis Peregrinorum pauperum, donatos esse lego.

§. 8. Nunc fontem dissidii & scripti hujus irenici causam & occasionem similiter brevibus aperiam.

Quum Edzardus II. Comes Frisiae Orientalis, instigante Johanne Ligario, tum temporis, concionatore aulico, sub praetextibus nonnullis, coetum Emdanum à *Johanne à Lasco* 1544. jussu Comitissae Annae ab Oldenburg, & Frisiae Orientalis Comitissae Ennonis relictae Bivirae institutum 1583. die 27. Febr. ut eo magis concordiae studium accenderet, suspendisset & colloquium ad concordiam in religione obtinendam, decimo quinto Aprilis indixisset; dicto

(e) Praeter duo haec notata scripta edidit quoque *Libellum Theologicum de primariis aliquot religionis Christianae capitibus*. Hanoviae. 1604. in 8. *Uit & klare Unterweisung von der Lehr und Worten/ auch wahren eigentlichen Verstand des H. Nachtmahls: Neustadt an der Hart*. 1606. 8. quem tamen librum paene eundem esse dixerim cum illo, qui §. 5. citatus est, quem solide & perspicue scriptum ex editione *Herbornensis* a. 1592. possideo. T. d. H.

dicto die & consueto loco fratres quidem in Urbem convenerunt, avidè colloquium illud exspectantes, at *Ligarius* cum suis non apparuit, hinc edocti certius, quo loco res esset, omiſſis iis, quæ primo in conventu cœtuali agi solent, id tantum inter se quæſiverunt, quid in hoc casu (colloquio non procedente) sibi nunc esset faciendum? an cessante causa eâ, ob quam Comes ipse affirmaverat, Cœtum suspendi se voluisse, statim ad morem pristinum redeundum, id est, in institutis Cœtibus habendis pergendum? an vero quod à paucis insurrabatur, copiam ejus rei per libellum supplicem, à Comite ante petendum, ad avertendam omnem calumniæ causam: Quid sentirent fratres de hocce negotio à Præside Altingio rogati, magno consensu, duobus tantum, (*Johannis Petrei* Pastoris Emdani, & forsân *Gellii Regneri* Pastoris Hintani) suffragiis variantibus conclusum, optimum videri, ut omisso supplicandi consilio, auspice Deo, in instituto veteri, more solito pergatur; nec esse Comitum indignationem metuendam, siquidem Comes Emdæ præsens pastoribus Emdanis nomine Cœtus, congregationis istius suspensionem deprecantibus die 18. Martii respondisset, daß ihn Gott behüten solte/ eine solche Christliche Ordnung abzuschaffen. Hinc ad solita progressum est. Cœtusque ab eo tempore continuatus.

§. 9. At *Johannes Ligarius*, illud divide & im-

impera, edoctus, quibusdam in agri vicinia obrepfit insusurravitque non leviter offendi Comitem, Coetum & Coetus actiones continuari, & hoc sibi dolori esse, qui Coetui bene velit, sperare tamen leniri animum Comitis & Coetui reconciliari posse, si libello supplice, quo cum deprecatione offensæ, continuandi, frequentandique coetus copia petatur.

§. 10. Inter hos, quos hoc modo promissis dives *Ligarius* sollicitabat, princeps erat *Wicherus Millejus* Ecclesiæ Hintanæ Pastor, quem authoritate valere apud cæteros noverat; hujus vero animo, spe inani, conciliato, per eum aliis vicinis ejus numero paucis, facilius obrepebat, & demum die & loco indicto *Suderhusæ* in nassam eos traxit; denique impulit hos novem incautos, injecto offensæ aulicæ non levis metu, nisi ab Emdanis & eorum sectatoribus, coetum frequentantibus mature se sejungerent, ut per libellum supplicem, qualem ipse dictabat, adeundum sibi comitem arbitrarentur. *Gründl. wahrachtige Bericht von der Reform. zu Emden / p. 329. &c.* Interea idem *Ligarius* animum *Comitis* quanto potuit odio in Pastores Emdanos & totum coetum, testante *Emmio*, impense incenderat, adeo ut Comes, vocatis in arcem *Symmystis* Emdanis die 3. Junii negata sui copia, per *Assuerum Allingam*, Consiliarium præmissa acri increpatione iis ediceret, ut ab habendo coetu in posterum abstinerent, eodemque die libellus

bellus ille supplex per Ligarium Comiti est exhibitus.

§. 11. Ex dictis itaque apparet, quis fons hujus dissidii fuerit, scilicet, quod hi numero pauci, quorum nonnulli contra prius datam in cœtu sententiam, & decretum cœtus, exceptis duobus, *ὁμοθυμαδόν*, imo etiam contra admonitionem ab Altingio & Joh. Petrejo, die adscensionis Christi, Wichero Milleho Hintæ datam, inani spe lactati hunc libellum supplicem subscripserint; hinc apud alios Pastores, præsertim Emdanos male audiebant, adeo ut scriptum illorum die 22. Julii ad Consistorium Emdanum missum respuerint, non tantum eam ob causam quia negotium cœtuale erat, sed præcipue quod videri volebant, rem bene gessisse.

§. 12. Nunc denique paucis causam & occasionem hujus scripti videbimus, præmissa institutione cœtus in Leerana & Greetzylana præfectura.

Postquam *Edzardus II.* Comes Cœtum Emdanum abrogasset, statim frater ejus germanus *Johannes*, Comes Frisæ Orientalis Reformatae religioni avitæ cum Matre addictus (cujus duo 1584. donati argentei Scyphi cum tegumentis, qui singulis mensibus in præbendo vino sacrae cœnæ adhibentur, æque grati fuerunt & hodie sunt Emdanis; ac olim Oldenburgensibus acceptus fuit aureus ille Calix à Comite Johanne XIV. Oldenburgiaco, nostro.

strorum Comitum Avo, ad eundem usum in templo St. Lamberto dicato, 1516. donatus, teste Hamelmanno in Chron. Oldenb. part. III. p. 314.) in præfecturis suis Leerana & Greetzylana cœtum Pastorum adornavit, ut liquet ex mandatis Comitis & Præfecti Greetzylani.

**Johan Graaf und Herr zu Dost-  
Friesland/ ꝛc.**

Als auch in unser Stadt Embden kein gemeiner Cœtus unter den Predikanten mehr gehalten wird. So befehlen Wir dir hiemit gnädiglich/ daß du die samptliche Pastoren in Unserm Ambte alda / bey einander bescheidest/ und ihnen bey Vermeidung Unser Ungenad auflegest/ daß sie auff einen gelegenen Ort eine Beyeinkunft und Cœtum wiederum bestimmen und halten/ damit sie sich unter einander üben/ und desto besser Einigkeit erhalten. Datum Lehrohrt am 23. Julii, Anno 1583.

**Inscriptio**

Unserm Ambtmann zur Griedt  
und lieben Getreuwen  
Hilgerum von Reidt.

§. 13. Huic Mandato Comitis parendum docuit Præfectus Greetzylanus emisso ad Pastores istius præfecturæ sequenti mandato.

Dieweil der Wolgebohrner Mein gnädiger  
Herr

Herr Johan Graef und Herr zu Ost-Friess-land/ ernstlich befohlen/ dat de samptliche Pastores Coetum instituiren und halten sollen/ so sollen die Pastores und ihre Mithulperen Morgen Mittwoch gewislich zu Eilsum in des Pastoris Haus daselbst Vormittag vor neun Uhren erscheinen/ und daselbst up ihrer Gnaden Befehl Ordnung anstellen. Signatum Greetzyl am 30. Julii, Anno 1583.

Hilliger Reid, **Ambtmann.**

§. 14. Similia dubio procul mandata in praefectura Leerana ad Praefectum & Pastores emissa fuerunt, ast illorum specimen fortasse, cum Geldenbaurius in Palatinatum abiit, nec acta Leerani cætus æque custodita ac Greetzylani, cujus originalia à fratre meo Germano Pastore Larletano, ut pretiosa κειμήλια æstimantur & conservantur.

§. 15. Huic Praefecti Greetzylani mandato Pastores lubenter, ut decet, paruerunt & die sequenti 31. Julii Coetus Greetzylanæ praefecturae Eilshumi initium cepit, ast mortuo Johanne Comite, coetus hujus institutore, frater ejus Edzardus II. illum abrogavit 1592. die 31. Maji cum sess. 10. esset habenda.

§. 16. Ast florente hoc coetu 1584. die 1. Julii sess. 9. necessarium judicabatur ut una cum Leeranorum fratrum coetu reconciliationem inter Symmystas Emdanos & nonnullos Pastores ex praefectura Emdana tentarent, hinc

hinc die 8. Julii Johannes *Acronius*, Pastor Eilsumanus cum epistola à Præside concepta & prælecta mittitur ad Leeranos, quibus perplacuit consilium, & dies decimus quintus Julii indictus fuit, ut ab utroque coetu deputati Oldershemii comparerent, dijudicantes quid in hocce negotio agendum, ex Gretzylano coetu deputabantur *Wiardus Ludolphi* Præses & Pastor Eilsumanus, ast miserè fratribus ereptus 1588. decrescente Aprili, & *Conradus Eberius*, Pastor Uttumanus, qui cum Leerani coetus deputatis dicto die & loco consenserunt, ut per *Gerhardum Geldenhaurium* Pastorem Leeranum utrique parti idem sonans scriptum ἐιρηνικὸν transmitteretur, in quo persuasoriis rationibus antegressorum errorum ἀμνηστία commendetur, quod consilium non omni fructu destitutum fuisse speramus, saltem scriptum eum in finem ad fratres dissidentes ἐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως exaratum id efficere potuisse nullus dubitabit, qui attente perlegerit.

S. P. D.

**M**emorabile est ac plane egregium, Reverendi ac Præstantissimi Viri, Domini & fratres observandi, quod olim Thrasylbulus ille Atheniensis, triginta Tyrannis, qui urbem diu multumque divexant,

rant, confectis, non exules modò (in quorum & ipse erat numero) reduxerit ac libertatem patriæ restituerit: Verum etiam ut solida porro civium esset concordia, omnisque semel renascituri mali evanesceret occasio, de injuriarum oblivione æterna, plebiscitum populi constabilitum juramento interposuerit: quam *ἀποκρίσιον* tum quidem vocabant. Sed Ethnicum illud fortasse! at Christianum hoc multoque præclarior, quum Constantinus Magnus Imperator in Synodo Nicæna, querelas sibi ab Episcopis oblatas (partim nequid illo ordine indignum deprehenderet, partim quod publicum negotium, cujus illi causa conveniant, privatis anteponendum simultatibus existimaret) ne semel inspexit quidem, sed complicatas igne exussit: Ipsos verò Episcopos oratione gravi ac prolixa, ad concordiam sepositis affectibus amplexandam, cohortatus est.

Atque hanc esse proximam omniumque tutissimam rationem Salvator ipse docet, nullum alium dilectionis mutuæ inter pios conservandæ modum præscribens, quam injuriarum condonationem, sicuti inquit: *Remittite & Remittetur vobis.* Nec aliter divus Paulus, cum ait: *Sufferentes vos invicem & condonantes vobis mutuo, si quis adversus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonavit vobis, ita & vos.* Item alibi: *Invicem alii aliorum onera portate & sic complete legem Christi.*

Ex hisce igitur perspicuum evadit, non quid vel Gentiles vel Christiani aliquando fecerint, utrimque certe cum laude & emolumento, sed quid fieri etiamnum (ut inter Christi fideles mutua dilectio, facta veluti tecta conservetur) juxta regulam verbi DEI, necesse sit. Nimirum ne in cursu & communi causa pietatis, ullis nos injuriis offensiveturbari & impediri sinamus: Sed ex animo alteri alteris condonantes & vinculo nexuque dilectionis ac pacis perpetuo colligati, Deo serviamus & Ecclesiae. Unde Christus. Praeceptum novum do vobis, inquit, ut diligatis vos mutuo, sicut ego dilexi vos.

Sed quorsum illa tandem? Exacti sunt Menses aliquamulti ab eo, quod non sine gemitu (fratres) ac suspiriis nostrum dissipari vidimus Coetum laudatissimum: & quanquam rem Deo seriis interim precibus commendare non cessavimus, consili vos animos iterum (sicuti ne nunc diffidimus quidem) in timore Domini ad communis causae profectionem, conjuncturos: cum tamen hanc ipsam rem extrahi longius, quam vel par sit, vel Ecclesiae utile, vel sine scandalo denique & laesione conscientiarum fieri queat, animadvertemus, triste hoc exemplum oculis amplius aequis adspicere haud potuimus, nostrorum omnino partium esse rati, ut pro Christi gloria & Ecclesiae aedificatione & avertendo scandalo, nullum non moveremus lapidem, ad

concordiam ut redeatis: Ad quam remotis quibuscunque obstaculis capeffendam, atque inter vos consolidandam, unice hoc scripto nostro qualicunque, vos exhortari, exstimulare, compellere satagimus, idque auspice ac Duce Christo omnis veræ pacis authore.

Ipsi etenim scitis, quam sit bonum & jucundum τὸ κατοικεῖν ἀδελφὸς ἐπὶ τὸ αὐτὸ, contra neque obscurum cuiquam vestrum est, cur discordiæ zizania inimicis inter fratres & vel in ipso agro Domini disseminet: quo magis metuendum, ne abutatur & isthac occasione Satan, nisi in tempore occursum fuerit. Nam si in aliis, concordia res parvæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur: quid non aut sperandum aut timendum in causa maximi momenti ad gloriam Dei & salutem Ecclesiæ pertinente? Et in illis minus forte periculi: hic vero plurimum. Si quidem hic non de rebus caducis & vulgaribus, sed Ecclesiæ, sed sacri Ministerii, sed conscientiarum incolumitate, agitur. Quid autem in diversas partes studiique distracti, vel profectus vel benedictionis, vel commodi, nobis pollicebitur? Quid currus, rotis huc illuc disjectis? quid? equus in diversum conatu simul cursu, que ruentibus. Quanto rectius, Ecclesiæ ac Ministerii totius pingitur imago, apud Ezechielem, in rotis quatuor totidemque animalibus, quæ quidem conjuncta suis alis, simul ejusdem ductu Spiritus, movebantur, ibant, stabant?

stabant? Ibi demum conspiciebatur forma  
 Hasmal, ibi splendor, ibi scintillæ ignis, ibi  
 faces ardentes, ibi fulgur, ibi cursus & recur-  
 sus instar fulgetri celerrimus & expeditissi-  
 mus, ibi denique aspectus & imago gloriæ  
 Domini: ad terrorem utique Diaboli & male-  
 volorum & hypocritarum quorumvis, pio-  
 rum vero consolationem & robur incredibi-  
 le, invictum & inexpugnabile. Ad hanc igitur  
 in domo Dei formam nos componamus,  
 ad hanc nos redigamus Fratres, ut in Domino  
 unum simus cor & anima una, eadem prædi-  
 ti voluntate, eodem studio, motu, incessu,  
 ad eundem videlicet finem scopumque colli-  
 mantes. Et quod Scilurus olim Scytharum  
 Rex, tradens octoginta filiis tela totidem,  
 quæ conjuncta nullus eorum confringere po-  
 terat, cum singuli singula frangerent alioqui  
 facillimè, de unitatis fraternæ vi maxima si-  
 gnificare voluit: Id ipsum hodieque nos com-  
 meminisse decet. Nam *omne regnum in se di-  
 visum corruet*, inquit Salvator. Quam vero  
 graviter Paulus? *siquidem cum in vobis emulatio  
 sit & contentio & factiones, nonne carnales estis  
 & secundum hominem ambulatis?* Jam in quæ  
 tempora nos inciderimus, etiam atque etiam,  
 Fratres, perpendite, adspicite rugas Ecclesiæ  
 consenescentis, considerate onera & difficul-  
 tates maximas. Non jam otiose standum est,  
 non affectibus indulgendum, non carni & san-  
 guini palpandum: Sed properandum, sed

elaborandum, ut ne quod Ecclesia detrimen-  
tum capiat. Quin pugnandum etiam, idque  
conjunctis animis, viribus, precibus, contra  
communem hostem pro Christi gloria & Ec-  
clesiæ defensione. Quid obsecro proficere-  
tur in bello, quando milites mutuis, ante vel  
sub ipsum prælium, hoste neglecto, sese vul-  
neribus perimunt. Et Naucerus quidem si  
remis velisque neglectis dimicet interim cum  
sociis intra navigium, quomodo à naufragio  
sese eripiet? Nobis ergo quid in mentem ve-  
nit, asperrimis hisce temporibus, inter tot  
tantasque turbas & procellas, ut putemus,  
nos ad Ecclesiæ gubernacula sedentes, rebus  
omissis necessariis, & in his, fratrum coetu  
posthabito, hoc est, tanto ministerii totius  
nervo inciso, dum videlicet, cum umbra no-  
stra digladiamur, prospere adstituros?

Neque vero hæcenus dissidia, inter nostros,  
usquam & hisce præsertim locis, fuere; ut  
profecto antecessorum, qui felicissime res in  
Ecclesia gesserunt, probatissimis insistere ve-  
stigiis, conveniat. Unicum in Hollandia, si-  
mili ferè occasione, dissidium enatum, de  
disciplinæ, videlicet, Ecclesiasticæ rigore;  
quod quanta illic mala, quantas turbas excita-  
rit, heu, nimis notum est, merito igitur in eo  
componendo optimi sese quique fatigant. At  
major isthic difficultas, quum institutio Chri-  
sti quædam in dubium vocetur; apud nos  
autem nihil tale (Dei beneficio) accidit: Sed  
fieri

fieri potest in suspicionibus & querelis mutuis ad fraternam conversationem spectantibus, alii alios offenderint. Hoccine ergo quantum est, ut propterea digrediamini ab invicem, ut divellamini, ut alteri alteros vitetis & adversemini? Ne, per Deum (fratres) ne date locum iracundiæ, ne sinite exasperari animos vestros, neque enim ira hominis facit justitiam Dei, beati mites, beati misericordes, beati pacifici, inquit Salvator. Et quidem si plebejis præscribit Christianis Apostolus, *ne sinant occidere solem super iram suam, neve locum concedant calumniatori*: quanto magis ab hac sibi parte cavebunt, qui sunt luminaria Ecclesiæ, qui toti patriæ, qui toti mundo faciem Evangelii præferunt? Si illis irasci turpe? his profecto noxium est prorsus & exitiale. Jam tanto tempore hæc res hæsit veluti suspensa: toties sol occumbens redintegrandæ vos amicitiae admonuit: toties hanc aliis cantilenam occinuitis: toties eandem ipsi neglexisse videmini? tempus est igitur, ad priorem illam redeatis tam suavem, tam jucundam, tam Deo gratam & Ecclesiæ totique Patriæ utilem ac necessariam animorum conjunctionem. Quæ dum stabat, nonne cunctis eratis adversariis formidabiles? nonne cunctis bonis, arcis instar munitissimæ, tutum refugium? Nunc autem quorsum exorbitatis? Nonne si sic pergetis, mox risus ac tripudia hostium, at suorum è contra gemitus,

lachrymas, dolores, vulnera conspecturi estis?  
 Nihil de infirmis interim: qui maximopere  
 profecto offenduntur, alienantur ac modo  
 non retroaguntur, si oculis in nos coniectis,  
 talia deprehenderint. Atqui non oves tan-  
 tum sed & agnos Christi pascere debemus:  
 quin & imbecillum præcipue in nos curam su-  
 scipere. Et quid Salvator? qui offenderit  
 unum ex minimis hisce qui in me credunt,  
 expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de  
 collo ejus, ac demergatur in profundum ma-  
 ris. Item, vae mundo propter offendiculum  
 vae homini per quem offendiculum venit  
 Ne ergo vel ab hac parte, seu Ecclesiæ seu  
 vobis ipsis deeste. Quid autem invocationis  
 in tota re divina, sublimius, quid præstantius  
 sine qua nec in cæteris rebus universis, quic-  
 quam, nec in sacro verbi divini Ministerio,  
 rectè constitui potest. Hic vero monet A-  
 postolus, ut omni excussa animi ægritudine,  
 conscientia tranquilla & libera precemur.  
 Volo, ait, orare viros in omni loco sustollen-  
 tes puras manus absque ira & disceptatione.  
 Et Matthæi 18. Dominus: *Si duo ex vobis con-  
 senserint in terra de quacunque re quam petierint,  
 continget illis à patre meo, qui in cælis est* &c.  
 Contra, inquit nisi remiseritis quisque ex animo  
 delicta fratri suo, neque remittet vobis peccata ve-  
 stra pater meus cælestis. Itaque fratres, ne pre-  
 ces vestræ utrinque impediuntur, utque gra-  
 tia Deo sint, in Christo dilectissimo filio, cu-  
 jus

jus freti fiducia oramus; neque Spiritus pre-  
 cum contristet in vobis. Agite, injuriam  
 si qua illata sit, condonate: animos iterum  
 serenate: induitque viscera miserationum,  
 benignitatem, modestiam, mansuetudinem,  
 lenitatem, vos exornate: exornatos, coram  
 Deo in Spiritu Sancto fideque coram Ecclesia  
 in charitate sincera, cum conservis congluti-  
 nate, coarctate, unite: in unum vero colli-  
 gati demum cum fiducia precum, in conspe-  
 ctum Dei procedite. Ita fiet, ut ad precan-  
 dum sitis aptiores & alacriores, ad exauditio-  
 nem Deo acceptiores & in omnibus gratiores  
 Ecclesiae. Nam oratione aut neglecta, aut  
 non in Spiritu & veritate praestita, aut saltem,  
 conscientia fluctuante, turbata: quid (quaeso)  
 salvum & incolume? Quapropter, fratres,  
 exempla priora contemplamini, τὸ καλὸν περ-  
 πνὸν fraternae dilectionis & concordiae per-  
 pendite, communem vocationem considera-  
 te, damna & utilitates ponderate, nec date  
 locum tentationibus, multo minus Diabolo  
 hosti, scandalum vitate, infirmis parcite, pre-  
 ces ne turbate, quin & ipsi nostra vota susci-  
 pite: Et (ut Constantini verbis utamur) ad  
 mutuam redite amicitiam & gratiam, restitui-  
 te universis fratribus suos complexus & vos  
 ipsi tanquam animis repurgati alius alium mu-  
 tuo agnoscite. Fit enim saepe numero amici-  
 tia jucundior, quando post inimicitiae contro-  
 versiam ad reconciliationem reducitur.

Verum enim verò non hoc sumimus nobis, uti in vos censuram usurpemus aliquam: probe memores illius D. Augustini ad Hieronymum: video interdum & vitia mea, sed ea malo audire à melioribus. Nos quidem honorifice sentimus de vobis, reverenter vos colimus, exosculamur, deperimus. Dona vestra præclarissima, studium, virtutem agnoscimus ac deprædicamus. Institutioni vestræ nos subijcimus, correptiones vestras admittimus, discipulos nos profiteremur. Vos quidem illa omnia multo uberius, multo rectius, multo felicius: Atqui officium facere nihilominus videmur nobis, si tanquam fideles liberi parentes nostros, nescio quo fato commotiones, placare studeamus, ne tota videlicet Domus turbetur, & vicini vel offendantur, vel iisdem ludibriis cuncti exponamur. Quare nihil nobis arrogamus, vestrum duntaxat & Ministerii & Ecclesiæ & ipsius Christi honorem quærimus, quæ scitis ergo alioquin tum aliis tum cunctis nobis, eadem vobis jam ne ignorete, nec afflictam familiam vestram & conservulorum querulas voces despiciate. Parata demum potest orare Domus, hymnos cantare potest, ad quasvis operas est idonea. Hanc itaque securitatem nobis largimini, ut in Domino vobiscum exultemus.

Sed, ait quispiam fortasse? per nos non stetit ea res: admonenda erat pars altera: qua culpam agnoscente ac deprecante, res

omnis

omnis in vado esset. Nos vero Fratres, neutiquam hæc moramur, neque nobis in studio est, ut arbitrium hic nostrum interponamus, qua parte sit erratum, id quidem agnoscere nolumus. Reconciliationem duntaxat quærimus: hoc agimus, huc propendemus, in hoc incumbimus, hic voti nos compotes efficite, alteris alteri ignoscite, si qua sit offensa, eam comprimite, consopite, sepelite: ut sitis inter vos ipsi & nobiscum in Domino unum, sicuti Pater & Christus unum sunt. Sive igitur ab hac, sive ab illa, seu denique ab utraque parte, intra Ilii, quod ajunt, muros & extra peccatum sit; nequaquam tamen deterrere nos illud, aut enervare, aut ab instituto conatuque nostro debet extrahere. Vos utrinque animos componite, dexteras iterum conjungite, si quid admissum est, obliviscimini, remittite, scrupulum animis eximite, præterita missa facite, ad futura prospicite, arctiorem deinceps amicitiam colite, & sublata erit lis omnis, omne dissidium, omnis difficultas.

Atqui dum neutra pars in se ipsum descendere & fateri culpam vult, inquis, nonne singuli seorsim facere officium & causam communem tueri nihilominus poterunt? Minime verò. Sed membra unius ejusdemque corporis existimus. Quid membris discerptis, corpus? Nec sane divulsum & lacerum Christi corpus, cujus ille caput est, constituere,  
nec

nec dissoluta illius esse membra debemus: Sed totum corpus demum si ex capite Christo coagmentetur & compingatur, per omnem commissuram subministrationis, juxta actum in mensura unius cujusque partis: tunc incrementum corporis facit, in ædificationem sui ipsius per charitatem. Nihil enim in Christo distractum, nihil non cum capite totoque corpore, nexu indissolubili, aurea veluti catena junctum & initum est. Itaque tanquam sanctificati illius & gloriosi corporis membra cohærete, nec ulla vi disjungi vos patimini.

Sed odium forte est nullum, quamvis conversatio rarior? Nullum plane per Dei gratiam: at semina interim ostendit iste pravus: quare festinandum, antequam illa vel spargantur, vel sparsa vires capiant. Est autem via nunc expeditior, quam si rancor quispiam intervernerit, qui exulceret omnia. Nam exiguus ignis quantam sæpe materiam incendit. Principiis obsta, inquit ille &c. Jam vero neque studium reconciliationis tam deest, quam de justo rei modo laboratur, atqui fratribus omnium optima jam ante ratio per ἀμνηστία com-  
monstrata est, quæ omnem semel tollit sollicitudinem, omnem præcidit querelam, omnem refricandi vulneris occasionem amputat. Nec est ut objiciat quispiam: quia sit læsa fama, quæ profecto negligenda nulli, ad concordiam perveniri non posse, tantisper dum in solidum & integre illa restituta fuerit.

Nam

Nam privatim aut seorsim inter vos nemo homo læsus est, quod nos putemus, & quidem si sit, Christi gloriam famæ tamen, fortunæ ac vitæ nostræ anteponendam esse, censemus: Cæterum (ut quod res est dicamus) si fama vestra ex hoc diffidio periclitetur, in eo certe periclitatur, quod secessionem interueniente, disjuncti sitis: quo uno suspicionem in aliorum animis excitari & foveri manifestum est: Quapropter *ἐμὲ τὸ ἀντὶ* redite famæ vestræ consultum usque quaque fuerit. Scriptam porro reconciliationis formulam requiritis? at quis tandem ita eam exarare, ita condere poterit, ne vel in aliquibus huic illive parti displiceat. Desistite vos partes esse: unum estote, integrum estote, nec ulla opus formula. Neque vero arbitros, acta, testes, nobis dicite. Politici ordinis forique sunt illa; simplicitas nos decet. Colloquium numque expetitis? at quo fine, optimi? ut nimirum causam inter vos ventiletis & utri plus minusve deliquerint appareat. Atqui nihil hujus innotescere satius. Quis enim usus detectæ maculæ, quis fructus, quæ utilitas, quando contegi felicius, quin etiam elui potest? ah desistite: infirmitas est, morbus est. Cum novum quasi Eridos pomum inter vos projici flagitatis? Neque vero sordes ventilandæ sunt, ne gravius oleant. Contegenda potius ista sunt, Deo semel committenda sunt, radicitus ex animis eruenda, evellenda, extirpanda sunt,

sunt, dilectio multitudinem peccatorum cooperit. Cavendum itaque ne per nos retegantur ac denudentur pudenda Noë: neve rugæ ac nævi Ecclesiæ & sacri Ministerii (quos universos eluit, absterisitque suo Christus sanguine) in hac ejusdem senecta, exagitentur. Sed hoc opus hic labor est, ut pedes alteris alteri, exemplo Salvatoris lavemus. Ipse lavit nos cunctos, lavit nos totos: at pedes, hoc est, qua parte terram adhuc contingimus, lotionem indigent, dum in hac vita peregrinamur quotidie. Eapropter de pedum sordibus hinc inde adhærentibus, ne contendamus, ne disceptemus & rixemur fratres, abluamus verò eas absque mora vel tædio, semper quisque alteri per mutuam dilectionem. Et probet unusquisque opus suum, tunc in semet ipso gloriationem habebit, & non in alio, Nam unusquisque onus suum portabit.

Atque hæc nostra est, haud quaquam Ethnica, sed verè Christiana, pulchra, utilis & perquam necessaria illa *ἀμύνη*: quam vobis fratres, in hoc rerum statu, ex fonte verbi Dei omnem animi livorem emundante & expurgante, reverenter offerimus, amore inquam & observantia vobis debita ad hoc excitati. Placida illa est, modesta est, integra, casta, sincera, tota, tota amabilis. Nihil habet suspicionis, nihil rigoris, nihil timoris, nihil periculi. Hanc ergo (quod felix faustumque sit) suscipite, per hanc in idem redite:

dite: hanc perpetuo colite. Exaudite gemitus nostros; minuite suspiria, tristitiam adimite. Ne finite in cassum abire vota nostra, ne spernite preces nostras, ne ad lachrymas nostras obrigescite. Nolite fratres, expectationem nostram fallere: neque enim vel re infecta recedere, vel sine Jacobæa benedictione dimittere vos, in animum induximus. En quot numero sumus, omnes vestri amantissimi, studiosissimi, observantissimi: omnes Symmytæ; omnes in eodem quasi stadio currentes! Quantam hic partem Ministerii per Comitatum hunc totius coram cernitis. Cavete igitur, facies nostras pudefaciatis, cavete cum rubore nos dimittatis. Nolite conservis augere dolorem; nolite pusillos affligere: sed facite haud gravatim, quod tantis rationibus à vobis contendimus. Faciles fuistis erga alios: ne præbete vos vobis ipsi nobisque difficiles. Pia res est quam petimus: præstitum haud magna est, si creditis: Commoditates in commune plurimas adferet. Nos vicissim quotquot sumus, nos totos vobis, ad omnia pietatis & observantiæ fraternæ officia, candide promptisque animis, offerimus, dedicamus, consecramus. Quod superest, valete, integri estote, consolationem habete, unanimes sitis, in pace agite, & Deus charitatis ac pacis erit vobiscum.

Johan-

Johannes *Welling*, (a) Baekemoranus subscripsit.

Ike *Dirkes*, Pastor te Holte.

Engelbertus *Heukelhemius*, Driveranus Pastor.

Thomas *Leeranus*, (b) in Bakemoer.

Johannes *Normeus*, Collega Lyeranus.

Henricus *Hœpman*, Pastor Poepshufanus subscripsit.

Ludovicus *Bernhardi*, Pastor Wenigermoranus.

Sergius *Brumanus*, Minister verbi ad Lucum D. Georgii.

Johannes *Elink*, Breinemoranus Pastor.

Georgius *Upbof*, Filsumanus.

Niardus *Ludolphus*, Pastor Pilsumanus suo & Collegæ nomine.

Danielis *Johannis*, subscripsit.

Conradus *Ebenius*, Ecclesiæ Utthemæ Ecclesiastes scripsit.

Daniel *Bernhardi*, Eilshumanæ Ecclesiæ Pastor, manu subscripsi mea.

Jacobus *Lyborius*, Deverensis Eccles. Visquardanæ Pastor manu propria.

Johannes *Wesselus*, Pastor Grethanus manu subscripsit propria.

**Autor**

(a) Rhena Westphalus.

(b) Hic Reformatus Pastor, & dignissimum cœtus Leerani membrum, rejectus ab officio comparuit Emdæ d. 28. Oct. a. 1596., & in ejus locum surrogatus a. 1597. Burchardus Theodoricus Fufius, cujus epistolam ea occasione ad Edzardum Comitem datam suo tempore exhibebimus.

Autor *Lodenus*, Eccles. Christi in Manslagt  
Minister manu propria subscripsit.

*Egbertus Staals*, Collega Pastoris Visquarda-  
næ Ecclesiæ.

*Elardus Ludovicus*, Wirdumanæ Ecclesiæ  
Pastor subscripsit.

*Joannes Acronius*, Eilshumanus Eccles.

*Nicolaus*, Ludimagister in Ottum & Pastoris  
collega.

*Johannes Wachtendonk*, Collega Pastoris  
Grethani.

*Lucas Ritzius*, Grimersumanus Pastor manu  
propria.

*Johannes Torrentius*, Jenlethanus, manu sua  
propria subscripsit.

*Johannes Asportanus*, Pastor in Canum ma-  
nu propria.

*Albertus Guilhelmi*, Pastor Woltzetanus  
manu propria.

*Johannes Ottonius*, Pastor in Groothusen  
manu propria.

*Jacobus Detmarsumanus*, Verbi Minister in  
Hambswerum manu propria.

*Gerhardus Huisingius*, Risumanæ Ecclesiæ Pa-  
stor manu propria.

*Joannes Clandt*, Larlethanæ Ecclesiæ Pastor,  
etiam.

*D. Wilhelmi Holtenii*, Collegæ sui domo ab-  
sentis nomine subscripsit.

*Johannes*, Ecclesiæ Betteweranæ Pastor con-  
firmavit.

Class. V. Fasc. II. Z Ger-

Gerhardus Eobanus *Geldenhaurius*, Eccles.  
Lyeranæ Minister manu mea.

Johannes *Dammonensis*, Ecclesiae Borguma-  
næ Minister manu mea scripsi.

*Ajax*, Visitator te Leer.

Gerhardus *Ten Ham*, Pastor in Grotegast ma-  
nu propria.

Gosinus *Dorreb*, Pastor Amdorpianus.

Egidius *Zutphaniensis*, Pastor in Bemerwolda  
ppr. m.

Johannes *Waterbusius*, Ecclesiae Stapelmora-  
næ Minister.

Ulferdus *Belida*, (c) Pastor Ecclesiae Dete-  
ranæ.

Johannes *Brommelcamdorpius*, Pastor Eccles.  
Weneranæ.

Ludovicus *Sanary*, Pastor Eskelanus.

Johannes ab *Eert*, apud Lenganos divini ver-  
bi Minister.

Wesselus Groninganus, apud Edenmoranos  
divini verbi Minister.

Johannes *Blome*, Pastor Vellinganus.

Balthasar *Honeus*, verbi Minister in Wener.

Berent van *Oldersum*, Schoelmeester in De-  
teren.

Ro.

(c) Pastor ecclesiae Deteranae, Comiti Johanni per-  
carus, remotus ab officio a. 1591. comparuit Em-  
dae, inde cum suis in Westfrisiam profectus est.  
Filius ejus Johannes *Belida* d. 2. Jun. a. 1597. Scho-  
lae Appingedamensis Rector creatus, & Henrico  
Houbingio successit.

Rodolphus *Hardenberg*, Collega *Philsumanus*  
in Ministerio.

Hermannus *Weneranus*, Pastor *Nortmo-*  
*ranus*.

Johannes *Mercator*, Ecclesie *Stapelmoranæ*  
Pastor.

Hermannus *Leidenraadt*, Ecclesie *Loganæ*  
Minister.

*Oldersumane* ditionis Ministri.

Franciscus *Montanus*, Ecclesie *Rarichumanæ*  
Minister manu propria subscripsit.

Casparus *Goldt*, *Gastensis* Ecclesie Pastor  
mea manu.

Georgius *Critius*, *Gandersumanus* subscripsit.

Feico *Riords Syrum*, Pastor *Oldershum*, obte-  
statur Fratres, ut sint per Deum exora-  
biles.

Gerhardi *Eobani Geldenhaurii* epistola  
ad Fratres *Emdanos*.

S. L.

REverendi Clarissimi ac præstantissimi Viri,  
Domini observandi, injunctum est mihi  
ab *Grethanæ & Lyranae* diæceson coetibus,  
uti hanc V. R. H. quam fratrum quam pluri-  
morum subscriptione communitam videtis  
epistolam, addita salutatione convenienti ex-  
hiberem. Quid ea contineat, intelligetis; &  
quia res pia est, utilis item ac necessaria, &  
quam ipsius Ecclesie status publicè nec non

privatim Christiana dilectio requirit; Nihil equidem dubito quin R. H. V. sese exorabilem sit præbitura. Simile & ejusdem tenoris exemplar ipsis etiam Hintanis fratribus prope diem offeretur, & forsan hoc ipso die, qui sane si & ipsi (quod exoptandum) æquo nos responso dignati fuerint: rem omnem solidè compositum iri confidimus; Domini benedictionem interim exoptulantes. De vestra quidem H. R. nobis certo pollicemur, quod refragatura non sit, verum sponte potius hoc ipsum quod petimus concessura, quam passura, ut vel Ministerium vel Ecclesiæ hujus patriæ, detrimentum capiant. Et omne vicissim V. H. R. officium studiumque prolixè deserimus. Bene valete. Lyræ 20. Aug. 1584.

V. H. R.

observantissimus

Gerhardus Eobanus Gelandenhaurius.

Inscriptio.

Reverendis Clarissimis ac Præstantissimis pristina pietate, virtute Viris, Dominis Ministris, purum Dei verbum in Ecclesia Emdana solidissime docentibus, Dominis ac Fautoribus perpetua observantia colendis.

Continuatio Catalogi Librorum à Reformatis typis excusorum.

GERMANICE.

**H**ochwichtige Betrachtungen, welche zu Erlangung der Glückseligkeit des zukünftigen Lebens einem Menschen höchst dienlich seyn; Aus dem Englischen übersetzt von Amadeo Creutzberg mit einer Vorrede J. Georg. PRITZ: der H. Schrift D. und des Ministerii zu Franckfurt Senioren; Francof. 1720. 20. B. 8. Opusculum hoc coelestem unctionem redolens à Reformato scriptum, à Lutheranis cum eleganter versum, tum praefatione exornatum, at Viro, ecclesiae Romanae adscripto Illustrissimo Comiti de Sporck inscriptum prodiit quoque Gallicè Amstaelodami, 1700. 8. & memorabili lectuque dignissimo scripto de la felicité de la vie à venir tamquam ejus altera pars, annexum est.

Joh. Alphonfi TURRETINI Kurtze und friedfertige Untersuchung der Grund- Articul des Glaubens; darinnen zu dem Frieden unter denen Protestierenden und zu beyderseits Verträglichkeit der Weg gebahnet wird; samteiner Sammlung der Zeugnißen,

in welchen ein bescheidenes und friedfahmes Urtheil in Theologischen Sachen zu gebrauchen eingerathen, und zu Auffrichtung einer Einigkeit unter denen Protestirenden Anleitung gegeben wird; A. 1720. 4. 1. Alph. 13. B. Hic liber ex Latino in sermonem Germanicum conversus est.

Morgenröthe oder erstes Licht zur Erleuchtung der dunckelen Hertzen junger Kinderen, in anfänglicher Erkäntnuß der Geheimnissen des Reichs Gottes, aufgesetzt von Rudolph FRIEDERICH; Diener am Wort Gottes zu Schwartzenburg Berner Gebiets, Bern. 1720. 8 $\frac{1}{2}$ . B.

Der Morgenröthe oder ersten Lichts Fortgang zur Offenbahrung des Sinns, I. der H. zehen Geboten, II. des Gebäts ins gemein: Auctore & loco & tempore eodem. 7. B.

Zehen Predigten über verschiedene Texte der H. Schrift, gehalten von Fr. Ad. LAMPEN, Francof. & Lips. (vel potius Basileae; 1720. 8.) Sunt eadem conciones, quas ante hos undecim annos sub titulo: Die Gestalt der Braut Christi vor ihrem Ausgang aus Babel, in Apoc. XIV: 1--5, aliaque nonnulla loca vulgaverat Cl. Auctor.

Gülden Kleinod der Lehre der Wahrheit nach der Gottseeligkeit verfasset in dem Heidelbergischen Catechismo, weiter ausgeführt, erläutert und befestigt von Johanne D' OULTREIN, wegen seiner Fürtrefflichkeit ins Hoch-

Hochdeutsche überfetzt durch Henr. Gunth:  
TEGELER, N. C. P. ferner mit Fleiß überfe-  
hen und mit verschiedenen Anmerckungen  
und Zugaben vermehret von Friedr. Adolph  
LAMPE; Bremen, 1721. 4. 158. pl.

*Rubm der Glaubigen in dem Tode JESU gegen  
alle Verdammniß, in einer Predigt fürgeftellet  
über Rom. VIII: 34. worinnen die Lehre, daß  
Christus allein für die Auserwehltten geftor-  
ben fey, gründlich erwiefen, und das Gegen-  
theil befcheidentlich widerleget wird, um  
gemeiner Erbauung willen zum Druck befor-  
dert durch L. G. TREVIRANUS, Diener des  
Göttl. Worts in der Neustadt Bremen, Bre-  
men, 1720. 4. B.*

In his paginis suam & plerorumque Refor-  
matorum sententiam gravibus de causis im-  
pulsus exposuerat S. R. Auctor, collega mihi  
exoptatissimus, idque, ut Theologum, ut Chri-  
stianum decet, sine omni verborum acerbitate,  
atque aliter sentientium injuriâ. Appa-  
ruit autem illico τὸ θεῖον, τὸ ἱπποκρίτων scriptum,  
de quo quid sentiendum sit, ex ipso titulo,  
tamquam ex fimbria de texto conjecturam ca-  
pies. Arrige aures, Christiane Lector, tan-  
tasque animorum, sane non coelestium iras,  
juxta mecum & mirare & ride. SPIEGEL  
DES BOESEN GEISTES, der sich in der  
höchstärgerlichen Predigt reget, welche der  
Calvinische Praedicant zu Bremen, L. G. Tre-  
viranus, wider unsern allgemeinen Herren und  
Heyland Jesum Christum in offnem Druck

heraus gegeben &c. Papae! Satis pro imperio, quisquis es! Quis non miretur salem, qui in te est? Sed heus!

*O bone! dum scriptum patulas protrudis in auras,  
Quod speculum pravi Daemonis ipse vocas;  
Hoc tantum moneo, librum ne legeris istum,  
In speculo hoc vultum ne tueare tuum.*

Aliud.

*Scire cupis de te pia gens quid sentiat omnis,  
Cum legit in magnos, pectora sancta! Viros,  
Quae jactis impura convitia tetrica penna,  
Nil, ait, in libro hoc aptius est Titulo!*

T. d. H.

שרש רבר, oder Hebräisches Wörter-Buch, welches der eigentlichen Bedeutung der Hebräischen Wörter in der H. Schrift, und auch dem Christlichen Sinn derselben als *der Wurzel des Worts* der Göttlichen Verheißung; so Christus und sein Reich ist, nachforschet. Nach der Ordnung wie die Dinge ihren Ursprung in der Schöpfung, und darauff so wol vor dem Sünden-Fall, als auch nach demselben ihren Anfang bekommen haben, in ihre gewisse Materien zusammen getragen von *Ludwig Christoph SCHAEFER*, Diener des Worts zu Berlenburg, im Jahr unsers Erlösers J. C. da Er als das selbst-ständige Wort, die Wurtzel seiner Ausserwehlten, ja auch der gantzen Welt, Fleisch geworden, Berlenburg, 1720. *Librum hunc videre nondum licuit.* Gül.

Gülden Kleinod zur Himmlischen Hochzeit, oder Communion-Buch, in Frantzösischer Sprachanfangs von dem H. Drelincourt, Mestrezat und Durand beschrieben, nun ins Deutsche gebracht, Basel, 1720. 12. 16. Bogen.

Die Beherrschung der Gedancken in einem anmuthigen Discours von Georg TULLIE; Unter-Dechant zu Yorck in Engelland, in Englischer Sprache geschrieben, jetzt wegen seiner Vortrefflichkeit ins Deutsche übersetzt von M. Henrich Engelhardt POLEY; mit angehängtem Register. Lipsi. 1721. 8. 14. B. Eundem propediem nobis ejusdem auctoris alios tractatus, v. gr. *Instrument to claese the Thoughts; Rational Thoughts upon Iudgement of man; Reflexions upon the old Philosophers and their Philosophie* Latinè ex Anglico versos nobis daturum accepimus.

Jacobi BERNHARDS Vortrefflichkeit der Christlichen Religion, nebst vier Discursen von den wahren und falschen Kennzeichen der Liebe Gottes; von der Beschaffenheit eines Christen gegen seine Feinde; von dem Marter-Leiden, von der Lügen; aus dem Frantzösischen übersetzet, Rudolstat, 1720. 57. B. 8. Hie liber a, 1714. Gallice duobus in 8. voluminibus Amstaelodami primum prodiit.

Robert NELSON Übung der wahren Andacht in Absicht so wol auff den Endzweck als die Mittel der Religion. Aus dem Englischen übersetzet, Augspurg 1721. 19. B. 8.

Joh. Arnoldi NOLTENII Posaune des Worts und der Gerichte GOTTES, vorgestellt in einer Buß-Predigt auf Anlaß des zu Berlin zersprungenen Pulver-Thurns, Berlin, 1720. 3. B. 4.

- - Einleitung zur Beweisung der Wahrheit der Christlichen Religion in neun Predigten, worinnen I. die natürliche Religion aus der Vernunft erwiesen, II. deren Unvollkommenheit angezeigt, und III. aus des HERRN Christi Aufferstehung und Wundern seine Göttliche Sendung behauptet wird; Nebst einem Anhang einer Abschieds-Predigt von Franckfurt an der Oder, und einer Antritts-Predigt, gehalten von Johann Arnold NOLTENIUS, Berlin, 1721. 4. 1. Alph. 9. plag. Continethic liber maxime venerandi Auctoris novem in aula Berolinensi regia, de gravissimis materiis habitas conciones, & brevitare, & dictionis perspicuitate, & soliditate se apprimè commendantes. En tibi illarum indicem. I. Religionem Christianam esse rationalem ex 2 Cor. IV: 2. II. Deum esse ex Rom. I: 19, 20. III. de natura & essentia divina ex Rom. I: 19, 20. IV. de providentia Dei ex Psalm CXXXIX: 5. V. de Lege naturae ex Rom. II: 14, 15. VI. de remuneratione ex Actor. XVII: 27. VII. de imperfectione religionis naturalis ex I Cor. I: 21. VIII. de Resurrectione J. C. I Cor. XV: 1-20. IX. De miraculis, quibus veritas religionis Christianae evincitur. Ebr.

Ebr. II: 4. cum appendice concionis valedictoriae ex Apoc. III: 1, 2. & introductoriae ex 2 Tim. I: 7.

Schriften zwischen dem Baron von Leipzig und D. Clarke über merckwürdige und besondere Materien der natürlichen Religion, nebst Ludw. Phil. Thümmigs Antwort auff die fünffte Englische Schrift, übersetzt von Henrich Köhlern, samt Christ. Wolffs Vorrede, Jena, 1720. 19. B. 8.

Die Religion eines Tugend- und Wahrheitliebenden Menschen, samt denen Gründen auff welchen selbige beruhet, allwo die Wahrheit der Christlichen Religion überhaupt so wol als ihre Einfalt erwiesen, und vorläuffig zu Ausfindung deren besonderen Geboten und Lehr-Puncten, so dieselbige in sich begreiffet, ein und andere Regul gegeben wird. Editio altera & tertia parte auctior, ex Anglico translata; Basel, 1719. 8. 17. B.

*Jobi Physica sacra*, oder HIOBS Natur-Wissenschaft verglichen mit der heutigen durch Joh. Jacob SCHEUCHZER: Med. D. Matth. P. Mit-Glied der Käyserlichen Carolinischen, Königl. Englischen und Preussischen Gesellschaften: Zürich, 1721. 4. 2. Alph. 17. pl.

Specimen eximii hujus operis exhibuimus Cl. II. Fasc. III. p. 397. De auctore vide Fasc. eundem p. 573. sqq. Est hic liber prodromus majoris operis, quod paene confectum est, vide-

videlicet commentarii in loca totius S. Scripturae Physico-Mathematica.

*Stephani CHARNOCKS* Discours I. von des Geistes Überzeugung der Sünde. II. Von Unglauben der allergrößten Sünde: *Berolini*, 1721. 8. 1. Alph. 8. pl. Ex Anglico liber hic translatus prædiit interprete *E. G. von Bergen*.

Das denen thierlichen Reichen dieser Welt zum Schrecken, und gänzlicher Vertilgung, der Kirchen GOTTES aber zum Trost und herrlicher Befestigung zuhegende Gericht des Allerhöchsten, und in den letzten der Tagen in vollem Glantz aufzurichtende herrliche Reich des Mesiaë dem hocheleuchtetem Propheten und Mann GOTTES Daniel, in einem wunderbahren Gesichte gezeuget und *Dan. VII.* beschrieben. Nebst einigen auserlesenen Schrift-Stellen, die erkläret, und in ihrer Erfüllung vorgestellt werden von *Johann Daniel MANN*, reformirten Prediger zu *Cleve*, *Soest*, 1720. 4. Vide *recessionem hujus libri Cl. IV. fasc. IV. p. 753.*

Das Muster eines rechtschaffenen Edelmanns in den Pflichten gegen GOTT, gegen den Nechsten, und gegen sich selbst; in Englischer Sprach beschrieben, durch den Auctorem von der gantzen Pflicht des Menschen (*Duty of Man*) und nunmehr ins Deutsche übersetzt, *Nürnberg*, 1721. 8. 17. Bogen.

Anfang an den näheren Entwurff oder Erklärung

klährung der Lehr der Reformirten Kirch von  
der ewigen GNADEN-WAHL, und anderen  
aus dieser Quell fließenden Heilwürckenden  
Gutthaten GOTTES zu Beförderung des so bil-  
lichen und nöthigen Kirchen-Friedens der  
Protestirenden Kirchen durch Salomon Ale-  
thaeum, (i. e. ut accepi, Joh. Jacobum HOT-  
TINGERUM) Tiguri, 1720. 4. 4. plag.

Kurtze aber wahrhaffte Relation von der  
wunderbahren Erleuchtung etlicher Ehrli-  
chen Leuten in dem Bärenthal, und den har-  
ten, wegen Annehmung der Reformiert-Ev-  
angelischen Religion ihnen zugefügten Trang-  
fahlen, zur Bewunderung und Mitleiden auff-  
gesetzt und zum Druck beforderet von J. H.  
U. (i. e. Joh. Henr. ULRICI) P. A. 1720. Im  
Jahr, Da Der Herr sich erVViesen Ihr Heil  
und Theil, Zürich, 4. plag.

Continet hoc scriptum narrationem me-  
morabilem eorum, quae ab aliquot annis cum  
nonnullis incolis *Bärenthalensibus*, qui ditionis  
*Hohenzolleranae-Siegmaringensis* vicus est,  
acta fuere. Illi lectione Bibliorum, quorum  
exemplar studiosus Theologiae, quam illi ho-  
mines vocant Catholicam, Johannes Beck,  
forte naetus erat, ad cognitionem veritatis  
Evangelicae pervenerant, eorumque nume-  
rus ad septuaginta, utriusque sexus, omnis-  
que aetatis homines excreverat. Hunc feli-  
cem Evangelii cursum ut sufflaminarent ejus  
hostes, quinque illorum ad d. 19. Febr. a. 1719.

nocturno tempore centum armatis militibus e lectis obtorto collo extracti, inter diras execrationes & ludibria numellis compedibusque ferreis miserabilem in modum vincti, manibus pedibusque ligatis primum Speichingam, deinde Oenipontum, &, reliquis tribus relictis, duo ex illis Bechius, & Johannes *Danaepfel*, Faber lignarius, Vindobonam deducti sunt. Hic inter teterrimi carceris squalores, fame ac siti pene enecti, ad Aprilem anni 1720. detenti fuere, donec infatigabili Legatorum M. Britanniae & Borussiae Regum, Ducisque Würtembergensis cura, atque intercessionibus, annuente Augustissimo Imperatore CAROLO VI. magno, felice, JUSTO, iis libertas abeundi impetrata est. Dubium est, num in hujus libri lectione magis hostium veritatis rabiem ac furores, quam TIGURINORUM praecipue, in illis confessionibus instruendis, juvandis, tuendis promptitudinem & liberalitatem admirari debeam. Speramus reliquis Barenthalensibus confessionibus, quos etiamnum sub dira persecutione gemere relationes publicae docent, mox opem, ac plenam liberationem a DEO & CAESARE allatum iri. ΜΙΜΝΗΣΚΕΤΕ ΤΩΝ ΔΕΣΜΙΩΝ, ΩΣ ΣΥΝΔΕΔΕΜΕΝΟΙ.

Gottseelige Seelen - Übung zu nützlichem Gebrauch des H. Abendmahls, hiebevordurch Hr. Johann ZOLLIKOFFER, weyländ Kämmerern und Pfarr-Herren zu Herisau,

aus

aus *W. Pemple, S. Simonidis* und anderer Gotts-  
gelehrten Scrifften zusammen gezogen, nun-  
mehro in richtigere Ordnung gebracht, ver-  
bessert und vermehret durch *Theodor GERN-*  
*LER*, Diener am Wort Gottes in der Kirche  
zu Basel; zweyte Auflage: Basel, 1721. 12.  
1. Alph. 1. pl.

Das ernstliche Verlangen Gottes auch  
nach der grösssten Sünder Bekehrung und  
Seeligkeit, in dem merckwürdigen Leben ei-  
ner gewissen edlen Person Privat-Standes in  
Engelland, welche Gott in sehr hefftige Un-  
ruhe des Gemüths und erschreckliche See-  
len-Angst gerathen, wie auch die entsetzli-  
che grosse Macht des Satans an sich erfahren  
lassen, dadurch aber endlich kräftig zu sich  
gezogen und von ihren sündlichen Wesen  
bekehret hat; Zur Auffweckung derer  
vermessenen und sichern, zur Überlegung  
derer zweifelenden, und zur Auffmunterung  
zaghafter Seelen, sehr erbaulich und tröst-  
lich vorgestellt, und auff Begehren einer  
Christlichen Standes-Person ausm Englischen  
ins Teutsche übersetzt von *M. Georg Klein Ni-*  
*colai*; Pastor in Zeulenroda; Leipzig, 1721. 8.  
1. Alph. 13. plag.

Die Reisen der Gottlosigkeit, welche in ei-  
ner artigen und angenehmen Allegorie vor-  
mahls im Jahr 1684. *Benjamin KEACH*, der  
auch die Reisen der wahren Gottseeligkeit  
in Englischer Sprache beschrieben, nun aber

aus derselben ins Hochdeutsche übersetzt, und zu hertzlicher Warnung vor aller Sünde und Gottlosigkeit heraus gegeben hat *Christoph. Matthaeus Seidel*, Adj. Past. Praef. & Inspector zu Berlin. Halle, 1721. 12. 18. pl.

Zweyter Theil der Schau-Bühne der Wunderen GÖttes, oder *Special-Physic*, worinnen die Lehr-Sätze der Naturkunde deutlich erklärt, mit Experimenten bewiesen, durch Historien erläutert, zum Nutz der menschlichen Societät und Erbauung des Gemüths appliciret werden. Eröffnet durch THEODOR, Mitglied der Königlichen Preussischen Societät der Wissenschaften. Herschfeld, 1721. 8. 1. Alph. Auctor hujus libri est S. R. J. Conr. MEL; Inspector Hersfeldensis, editione plurimorum aliorum librorum inclytus.

Gründliche Erklärung und erbauliche Zu-eignung der so genannten *Sonntags-Evangelien*, Krafft welcher, nach füglichem Eingange, ordentlicher Abtheilung, und richtiger Erklärung, nebst denen eigenen Anmerckungen des Autoris, alles dasjenige, was zur Harmonie, Calvinus, Chemnitius, Lyserus, Gerhardus, Clericus &c. über die Parabeln, D'Outrein, Melchioris, Groenewegen, Teelmann &c. über die Wunderwercke Antonides, von denen *Dubiis Evangelicis*, Spanhemius, zur Erklärung einiger Redens-Arten aus denen Rabbinischen Schrifften, und sonsten zur Erläuterung des buchstäblichen Sinnes

nes Lightfoot, Grotius, van Til, Huyfinga, und andere geschrieben haben, kürztlich zusammen gezogen, und zu nachdrücklicher Überzeugung der heutigen lieblosen Namen-Christen, und zu kräftiger Stärkung der rechtgläubigen Kinder GOTTES, jedesmahl in zwey Predigten, nebst denen dahin gehörigen geistreichen Gebätern, verfasst und vortragen, auff Approbation eines Ehrw. Bergischen Synodi heraus gegeben durch CASPARUM EBERHARDI; ehemahligen Hoff-Prediger zu Rheda, hernach Diener am Worte GOTTES zur Gemarcke im Bergischen Lande, und gegenwärtigen Guarnison und Stadt-Prediger zur Lippstadt. Lemgo, 1721. 4. 9. Alph. 7. Bogen.

Christliche Predigten über verschiedene aufferlesene Sprüche H. Schrift; neues Zehend; sonderliche Betrachtungen der Trübsahl und Todes-Gedancken in sich haltende; zu verschiedenen Zeiten gehalten, und nun heraus gegeben von DAN. ERNST. JABLONSKI, D. Berlin, 1720. 4. 1. Alph. 8. Bog. Haec quinta Decas est selectissimarum S. V. Auctoris homiliarum. Vide Cl. I. p. 363. & Class. III. p. 174. Textus, qui in hac decade pertractantur, sunt Joh. XVI: 20. Ps. XVII: 7. Rom. VIII: 18. 1 Cor. XV: 19. Ps. LXXI: 17, 18. Eccl. VII: 2. XII: 1. Luc. VII: 11. sqq. Es. LX: 20.

Die triumphirende Christliche Religion,  
 Class. V, Fasc. II,                      Aa                      das

das ist, höchstnöthiger, nützlicher und erbaulicher Tractat, von der Wahrheit und Gewisheit der Christlichen Religion, worinnen nicht nur die Existenz Gottes, auch daß die H. Schrift Gottes Wort, und Jesus der wahre Messias und insgemein der gantzen Christlichen Religion Gewisheit durch vernünfftige Gründe, und vielfältige unwidersprechliche Beweissthümer gantz deutlich und klar dargethan, sondern auch denen Zweiffeln und Einwürffen, so die Atheisten, Naturalisten, Deisten, Juden, Schwachgläubige, &c. dagegen machen, sattfahm begegnet wird. Aus dem unvergleichlichem Frantzösischem Scripto des Hrn. JACOBI AB. BADIE, Theol. Doct. und Predigers zu Dublin in Irrland, mit besondern Fleiß übersetzt, und durch unten beygefügte, aus denen neuesten Autoren so diese Materie behandelt, als *Morneo, Grotio, Pascal, Huetio, Clerico, Limborch, Allix, Hale, Pictete, Cudworth, Jaquelot, Bentlei, S. von Til, Oleario, Martin &c.* und anderen guten Theils gezogene Anmerckungen an denen nöthigen Orten erläutert. Nebst einer Vorrede, worinnen I. von dem Nutz und rechtem Gebrauch dieser und dergleichen Schriften gehandelt, und II. von denen fürnehmsten hieher gehörigen Scribenten umständliche Nachricht gegeben wird; III. die hauptsächlichste Methoden, nach welchen die Autores hie den

Be.

Beweissthum geführet, insonderheit das Project des sel. *Pascals* umständlich beschrieben, auch IV. von gegenwärtigem Wercke, dessen Einrichtung und nützlich Gebrauch nöthige Meldung gethan wird; Zelle und Leipzig 1721. 4. 3. Alph.

Ejusdem Libri zweyter und letzter Tomus nebst einer Vorrede, worinne gezeiget wird: I. daß kein Zustand unglücklicher und unvernünfftiger sey als eines, der von der Wahrheit der Christlichen Religion nicht gewis ist, oder gewis zu werden nicht ernstlich suchet: hingegen II. nicht glücklicher, als der Zustand eines Gläubigen, und III. wie hiezu zu gelangen? Lips. 1721. 2. Alph. 7. pl. Egregium profecto sui erga res divinas amoris specimen edidit nobilissimus consultissimusque Vir, C. L. BILDERBECK, J. C. Cellensis, qui tempus, quod a publicis gravissimisque muneribus vacivum habet, versioni, atque illustrationi praestantissimi, neque satis commendandi hujus libri voluit impendere.

Gottseelige Gedancken, und kurtze Gebete auff jeden Tag des Monats, aus H. Schrift zur frommen Seelen Erbauung vorge- tragen von einem aufrichtigen Liebhaber Gottes und der Wahrheit. Ehedessen Christlicher *Zeitmesser* genannt; Anitzo aber wiederum aufgelegt, und mit einer neuen Vorrede eines Leipzigschen Theologi ver-

sehen; Leipzig, 1721. 12. 6. B. Hic idem liber est, cujus editionem cum aliis ad pietatis praxin pertinentibus ante biennium heic loci curavi. Deinde cognovi, auctorem pulcherrimi hujus libri esse amplissimum Virum MARCUM PELS, Senatorem urbis Groninganae, duasque adhuc alias ejus exstare partes, quas pariter, sunt enim omnino dignae, ut plurimorum manibus terantur, e Belgico sermone Latine loquentes, publicique fieri juris, volente Deo curabo.

RICHARD BAXTER wahre Kirche in allen Secten, oder Beschreibung der wahren Catholischen Kirche, nach ihrer eigentlichen Natur und Beschaffenheit: Nebst des seeligen Autoris Ehren-Gedächtnüß in einer Leichen-Rede aufgerichtet von William BAKER, und aus dem Englischen übersetzt von D. J. G. Pritio. Mit einem Verzeichnüß derer Baxterischen Schrifften, und welche von denselben ins Teutsche übersetzt sind. 8. Leipz. 1721. 2. Alph. 4. B.

Hermanni WITSII Praetyck des Christenthums, oder Erklärung der vornehmsten Gründe der Gottseeligkeit. Vorgestellet in Frag und Antwort. Nebst denen geistlichen Kennzeichen, darinn ein Unwiedergeböhner in seinem besten, und ein Wiedergeböhner in seinem schlechtesten Zustande vorgestellt wird. Zweyte Auflage, welcher beygefüget die Kenzeichen des Standes  
des

des der Natur und der Gnade durch *Gualterus BODAAN*, Prediger in Amsterdam. Bremen, 1721. 17. B.

Summarischer Bericht vom Ursprung der Streitigkeiten in Religions-Sachen zwischen den Evangelischen Kirchen, und worauff dieselbe noch beruhen: Samt einem Schriftmässigen Unterricht von der Weise der Gegenwart und Gemeinschaft des wahren Leibes und Bluts Jesu Christi im heiligen Abendmahl, Bremen, 1721. 6. pl. Est iterata tantum editio libri saepius editi.

*Petri du MOULIN* oder *MOLINAEI*, Vaters und Sohnes, auserlesene zur Andacht und Erbauung dienliche geistreiche Schrifften, Sämtlich aus denen Originalien ins Teutsche gröstentheils zum erstenmahle, theils aber auff's neue mit möglichster Accurateffe übersetzt, auch mit nöthigen Anmerckungen, ausführlichem Register und glaubwürdiger Lebens-Beschreibung derer beyden Herren *du Moulin* versehen, von M. Joh. Daniel (a) *JACOBI*, SS. Theol. Baccal. und Archidiacono in Pegau; Leipzig, 1721. 4. 149. pl.

Libri, qui in hoc volumine Germanice versi occurrunt, sunt sequentes.

*Du combat Chretien*; deux parties: avec conseil fidele & salutaire sur les mariages des personnes.

A a 3

son.

(a) Ex praefatione disco hunc auctorem esse utilissimi libri, qui nostro idiomate sub titulo: *Lexicon Eruditorum* Lipsiae a. 1715. editus est. T. d. H.

sonnes de religion contraire, & prieres choisies &c.

*De la paix de l'ame.*

*De cognitione Dei.*

*Heracrite, ou de la vanité & misere de la vie humaine.*

*Theophile ou traite del'amour divin contenant cinq degres, cinq marques, & cinq aides del'amour de Dieu.*

*Le saint Reveil spirituel.*

*Meditation pour se preparer pour la sainte cene.*

*A Weeck of Soliloquies and Prayers with, a preparation the holy communion.*

*De la nature de la foi.*

*Familier instruction pour consoler les malades avec plusieurs prieres sur ce sujet. &c.*

*Nachlese einiger ausgesuchten Predigten, zum Anhang derer, die ehemahls unter dem Nahmen; Die Gestalt der Braut Christi vor ihrem Ausgang aus Babel, sind ausgegeben, auff Begehren einiger guten Freunde hinzugefügt von Friederich Adolph LAMPE, Dienern des Worts in der hohen Schule und Kirche zu Utrecht. Bremen, 1721. 8. 20. Bogen.*

*Continet Conciones septem 1) ad Act. XX: 32. qua ecclesiae Bremensi valedixerat Auctor, qui de pietatis non minus studio, quam eruditionis, praeclare quotidie & voce & calamo mereri pergit; 2) ad Zach. VIII: 31. qua in ecclesia Ultrajectina munus suum auspiciatus est,*

est, 3) in Luc. X: 42. 4) in Ps. XCIII: 5. 5) in Ps. CXIX: 175. quae dicta est Bremae, cum e gravissimo morbo feliciter esset eluctatus. 6) in Apoc. II: 7. quae habita est Duisburgi Clivorum in funere Pauli CHLETTE, olim Patris societatis primicerii, per septem annos Professoris Lucernensis, & deinde electoris Colonienfis Consiliarii in sacris, ejusque in aula Concionatoris, cum ille, posteaquam deserto Latinorum cultu emendationi Religioni nomen suum dederat, pie ac placide in Domino obdormivisset. 7) in Ps. CXXXI: 2.



X.

## Nova-historico-Theologico-literaria.

**G**LASGOVIAE postridie Kalendarum Novembris A. superioris MDCCX. vitam cum morte commutavit William JAMESSON (Guilielmus Jacobides) Professor historiarum in hac Academia. A teneris ille sensuum oculorum expertus, neque unquam in re lauta atque aucta fuit. Magnam tamen doctrinae copiam sibi collegit, historiarum cum sacrae, tum profanae callentissimus. Id colligas ex scriptis, quae emisit in lucem, ex quibus eminent *Apolo-  
logia ecclesiae Scoticae, prout illa legibus publicis*

stabilita est, Anglice & Latine. *Communis causa Christianismi: Gregorii Nazianzeni querela & votum justum, sive fundamenta Hierarchie excussa & rejecta; Tractatus de regimine ecclesiastico quale fuit temporibus Cypriani. Roma Racoviana, sive Racovia Romana, in quo libro demonstrare annisus est Arianos & Socinianos, tametsi ab ecclesia Romana videntur dissidere, in eo tamen cum illa convenire apprime, quod utraque pars religionis Christianae fundamenta subruere, quantum in se est, conetur. Libri ejus edendi sub titulo; Spicilegia Aegypti & vicinarum gentium, mentio a nobis facta est tomi superioris pag. 398. 399. Augebit hic Catalogum Cœcorum Eruditorum, qualem cum plures alii, tum nuper Henr. Aug. Fricke, (a) & præstantissimus Heumannus (b) noster exhibuere:*

JAMESII Scoti radiantia luce serenâ,

*Tempore queis parvo viderat ille diem,*

*Nunc eheu! tristi conduntur lumina nocte,*

*Lumina perpetuum digna videre diem!*

T. d. H.

ULTRAJECTI ad d. XIX. Martii Cl. Vir (c) Johannes LUYTSIUS, Philosophiae Professor anno aetatis LXVI. vitam cum morte commutavit. Celeberrimus Antecessor *Everardus*

(a) In Dissert. Academica de *Cœcis eruditis*, edita Lipsi. 1715.

(b) In programmate de *Cœcis videntibus* edito Gott. 1720.

(c) Vide Cl. III, fasc. I, p. 169.

*ardus OTTO* differt. de *jure Imperatoris* circa electionem Pontificis Romani, & alteram de statu *Judaeorum* publico vulgavit. In edenda continuandaque historia *Pauli Apostoli* strenue versatur *Cl. ALPHENIUS*. *Cl. LAMPPIO*, qui in limando suo in *D. Johannem* Commentario versatur, promulsidis loco singularia ejus loca singularibus excutere dissertationibus, animus est. Eum in finem Differtt. de *Titulo Evangelii Johannis*, de *sinu Patris* ad locum *Joh. I:18*. de *Scala Jacobaea*, ejusque *Mysterio* foras exire jussit. Ut quae Viri de hac sententia sit, cognoscas, dabo tibi theses illas, quibus eam commentariis suis largius illustratam exhibere voluit.

A. *Jehova* in gloriosa luce apparens, formaque humana conspicuus in coelo, repraesentavit *Gloriam coelestem Messiae* secundum utramque naturam aliquando occupandam & in terra revelandam.

B. *Scala* in terra fixa & ad coelum pertingens designat *sem. tam vitae*, per quam primo *Messias* thronum gloriae conscensurus, & deinde electos suos ad beatam secum in gloriam communionem introduxurus.

C. *Gradus* ex quibus *scala* constat, symbola sunt eventuum secundum consilium Dei per sua intervalla temporum distinctorum, per quos ad gloriam coelestem *Ecclesia* post *Christum* emergit.

D. *Infima* scalae pars in terra defixa innuit terram habitabilem regno *Messiae* subiectum iri.

E. *Summitas* scalae tangens coelum communi-

nem ecclesiae militantis cum triumphante, ejusque super omnia regna mundi excellentiam representat.

F. Jehova insistens scalae communionis suae immutabilis cum ecclesia in terra effigiem diversimode exhibet.

G. Per Angelos intelligimus primarios Messiae in administratione regni coelestis Ministros, tam coelestes, quam terrestres.

H. Adscensus & descensus Angelorum in scala indicat, quomodo hi Ministri Messiae in rebus ad regnum ejus pertinentibus actuosi sint.

I. Haec omnia successive gerenda & sigillatim oculis fidei contemplanda esse, triplex ad videndum invitatio innuere potest.

K. Jacobus tam illustre visum in somnio percipiens typus est tum ipsius Filii Dei in terra peregrinantis, tum ecclesiae per varios casus in coelestem patriam tendentis.

BEROLINI ineunte hoc vere promulgatum est edictum regium, quo omnibus, qui in amplissima ditione Borussica vivunt, Reformati verbi divini Ministris injungitur, ut ad exemplum ecclesiarum Belgicarum horis diei dominici pomeridianis Catechesin Heidelbergensem tractent, ea tamen cum moderatione, quae ut semper ita his quidem temporibus valde exoptanda est. Ita divina providentia factum est, ut eodem tempore quo ejus aurei libelli usum e templis eliminare conabantur omnes evangelii, is in longe amplissimis regio-

regionibus receptus publice ac late propagatus fuerit. Secunda Pentecostes feria *Johannes WARENDORPIUS*, Bremensis, qui adhuc Magdeburgi Primarii inter nostros Sacerdotis, Consistoriique Assessoris munere functus est, a Serenissimo Rege M. R. *Claesserii*, quem ad Cathedram promotum esse Francofurtensem Cl. IV. p. 399. indicavimus, Successor nominatus, officii ecclesiastici in templo Cathedrali Berolinensi initium fecit, explicatis verbis ex Jer. I: 8, 9, 10. deinde ab eodem Rege Concionatoris aulici dignitate auctus.

FRANCOFURTI *ad Viadrum*, Paulus Ernestus *JABLONSKI*, magni Parentis, quem non degeneraturus est, natu major filius, Libenberga, in qua Marchiae urbe Evangelium aliquot annis docuit, die sexto Kal. Jul. Professionem Philologiae Sacrae, morte Viri Cl. *Friederici Siegfriedi RINGII* vacuefactam, Oratione dicta de *Linguis sacris, Hebraica, Graecaeque conjungendis* bonis avibus exorsus est. Accessit huic muneri extraordinaria Theologiae Professio, juxta cum ordinariâ Ministerii sacri in ecclesia Reformata provinciâ. Insignis animi ejus dotes, quas dissertatione erudita de *lingua Lycaonica* edita prodidit, praeclara omnia de illo nos exspectare jubent. Vir doctissimus *Joh. Georgius MICHAELIS*, cujus opera haec quoque Bibliotheca ornata est, porroque ornabitur, Rectoratum Scholae *Servestanae* cum hujus urbis Scholae rectoro.

toratu nuper felicibus auspiciis commutavit.

LONDINI Supplementa ad Rogerii Dodsworthi & Gul. Dugdale (a) Monasticon Anglicanum, quod tribus Vol. in folio a. 1655. & 1672. prodiit, rarissimeque occurrit, sub titulo *Two additional Volumes to Sir William Dugdale's Monasticon Anglicanum* prelo tradidit Johannes STEVENS centurio, jam aliis scriptis historicis notus. In illis non modo plurima è Bodlejanâ, Ashmoliana & Cottoniana plurimumque privatorum Bibliothecis de ordinibus monachorum, quos auctores illi recensere, adjiciet, sed & ex instituto de Benedictinis, Augustinianis & Cartusianis, quos illi non adtigerunt, acturus est. Praeterea multa, quae ad Angliae parocciarum antiquitates, piasque institutiones, tum ad Scotiae & Hiberniae, imo & Normanniae, in qua multa debentur Scotis Regibus, aedes conventuales & cathedrales spectant, Catalogi item integri Abbatum virorumque doctrina illustrium passim inserentur. Opus quidem hoc sermone conscriptum est Anglico, at bullae omnes Pontificum Regumque privilegia ac privatorum donationes Latine apparent in appendicibus cum plurimis figuris aeneis, quibus habitus religiosorum & templa, eorumque ruinae affabre depicta exprimentur.

(a) Vide quae de hoc opere notavi in supplem. ad introd. Sagitt. ad hist. eccl. p. 537. T. d. H.

mentur. Pretium subscriptentium erit 3. Guinenses cum dimidio. Sub prelo quoque in hac urbe sudant Matthaei HENRY Commentarii in libros V. & N. T. sex Voll. in folio, quorum quinque sub titulo: *A practical exposition of the Old and New Test.* olim edita, Sextum autem nunc primum e schedis auctoris collectum cum doctorum Virorum supplementis lucem videbit.

LONDINI contra novam Cl. Bentleji N. Testamenti editionem, quam fasciculo superiori p. 159. memoravimus, prodiit dissertatio critica Anonymi, qui primum creditus est Dr. Colbatch, at deinceps agnitus est Colbatchii necessarius Conyers Middleton; Titulus est; *Remarks, paragraph by paragraph, upon the proposal lately published by Richard BENTLEY for a new edition of the Greek testament & Latin Version. By a member of the university of Cambridge.* London, 1721. 4. pagg. 24. Quemadmodum in toto opusculo neque eruditioni, neque famae Bentlejanae pepercit Autor, ita in titulo ipso haec verba ex oratione nupera Cl. Petri Burmanni in studia humanitatis, quae & Anglice versa exstat, excerpta leges; *Doctus Criticus & adsuetus urere, secare, inclementer omnis generis libros tractare, apices, syllabas, voces, dictiones confodere, & stylo exigere, continebitne ille ab integro & intaminato divinae sapientiae monumento crudeles ungues?* Sed & huic libello alius oppositus mox apparuit, a Bentleji amico, qui

qui ejus causam acerrime tuetur. Latere is voluit sub literis initialibus J. E. quamquam alii suspicentur autorem esse D. R. B. Entibi titulum: *Dr. BENTLEYS proposals for printing a new Edition of the Greek Testament, and St. Hieroms latin version. With à full Answer to all the Remarks of a late pamphleteer. By a Member of Trinity College in Cambridge. London. pagg. 44.* Sed & huic scripto ab eodem Midletonio responsum est statim. Fortassis hae lites corruent sponte sua, postquam Parliamentum concedere noluit Bentlejo licentiam quam petiit, inferendi ex exteris regionibus chartam, impressioni Novi sui Testamenti destinatam, sine solutione consueti vectigalis.

Aliud opus Criticum in Pentateuchum molitur EDUWARDUS WELLS, quod eo spectat, ut omnia loca, in quibus Versio Septuaginta-Viralis a textu Hebraico differt, dijudicentur ex collatione Pentateuchi Samaritani, qui censetur statim post Esdræ tempora, adeoque secundum exemplar ab eo revisum esse editus. Si opus hoc approbatores invenient, spondetur per singula bimestria in fasciculis quatuor foliorum continuandum. Speciminis editi hic est titulus: *A specimen of an Essay for to Find out and Ascertain the true or Original Reading of the Hebrew Text, in all places where it New differs, either from the Septuagint Version, or from the Samaritan Pentateuch. By EDUWARD WELLS Rector of Cotesbach in Lei-*

Leiceſter-Shire, Oxford. 1720. 4. In hoc ſpecimine plerumque ſeptuaginta-viralis verſio reperitur, ubi vero illa cum Samaritana congruit, Textui ipſi dica ſcribitur.

Famoſus ille TOLANDUS novum librum in lucem edidit quem inſcripſit TETRADMUS, impreſſum Londini 1720. extra præſationem conſtantem pagg. 226. in octavo majori. Nomen ei inde eſt, quia quatuor diſſertationibus abſolvitur. Prima dicitur *Hodegus*, in qua author probare vult Columnam nubis & ignis nihil fuiſſe miraculoſum, ſed ignem portatilem. Altera inſcribitur *Clidophorus*, de exoterica & eſoterica Philoſophia ſive de doctrina publica & arcana veterum, quarum illa accommodata erat popularibus præjudiciis, hæc vero nudam veramque fidem exhibens. Tertia nominatur *Hypatia*, quia hujus Virginis Philoſophantis Alexandrinæ, quæ invidiæ Chyrilli Alexandrini hoſtia fuit, vitam ſtylo Satyrico deſcribit. Accedit quarta *Mangoneutes*, quæ eſt deſenſio Nazareni contra Mangejum. Contra primam hujus Hodegi partem jam vidi libellum ab Anonymo editum, ſub titulo: *Hodegus Confuted in a plain demonstration, that the Pillar of a Cloud and Fire was not a Fire of Human Preparation, but the moſt miraculous Preſence of God.* Lond. 1721. 8.

D. III. Kal. Aug. illuſtris Præſul Wintonienſis Jonathan TRELAWNEY in palatio ſuo Cbealſea, diem ſuum obiit. Suffectus in ejus locum

locum est Episcopus Norvicensis, qui in episcopatu suo D. GREEN, aedis D. Martini antistitem, successorem nactus est.

SERVESTAE Anhaltinorum Cl. BAS. HUIYSIUM versionem duorum Gemarae tractatum Joma & Pesach, qui de festo diei expiationis & Paschatos agunt, editionemque *institutionum* suarum *Gemaricarum* moliri accepimus.

In illustri LINGENSI Athenaeo Cl. Vir Jacobus ELSNERUS, cujus nomen aliquoties in hac Bibliotheca legitur, Ordinariam Theologiae & linguarum Orientalium Professionem suscepit d. IX. Jan. hujus anni, Oratione dicta. *de Zelo Theologi*, quae nunc Ultrajecti 9. plagulis in 4. lucem adspexit. Is porro spartam, quam nactus est, ornare coepit egregie, dissertatione edita in difficilem locum Deut. XXIX:19. in qua verba *למען ספוח הררה את הצמאה*; ita vertenda esse putat: Ut *addat* aut *faciat* sc. is, qui sibi benedicit in corde suo *irriguam* terram *sitientem*, idque duplici modo posse intelligi; (1) Ita ut per *terram irriguam & sitientem* proprie dicta *terra* intelligatur, sensusque sit, ejusmodi hominem sibi persuadere, agrum suum irriguum & fertilissimum fore, etsi Deus ei sterilitatem summam & exustionem ob suum scelus in lege praedixerit. Deinde (2) ut *terra sitiens* h. l. denotet ipsum improbum hominem, de quo hic sermo est, ut dicatur ejusmodi hominem illa felicitatis pro.

promissione animum suum, qui terræ aridae & siccanti similis & exustioni destinatus esset, solatio & voluptate perfundere, atque ita irriguum efficere conari. Alteram quoque dissertationem vulgavit nuper, in locum Act. XIII: 48. qua eum praecipue contra Limborchium & nuperam Cl. *Maji*, Filii, qui vocem *πενυμενος* sensu activo sumi posse Obs. S. L. III. p. 80. ostendere conatus fuit, expositionem vindicandum sibi sumsit. In eodem hoc Gymnasio Cl. Antecessor Philippus *Wasmuthus*, Dissert. de *manumissione in ecclesiis* prodire fecit.

AMSTELAEDAMI ex officina Wetsteniorum prodire Petri POIRETI posthuma; I. Socinianismus repressus, sive de vera Deitate & aeterna generatione J. C. ad eruditum Unitarium epistola. II. Defensio methodi invenienti verum contra Cl. V. Christ. Thomassum. III. Vindiciae veritatis & innocentiae perpetuis accusationibus & criminationibus D. *Jaegeri* oppositae. Accedit vita Auctoris 1721. 4.

In eadem urbe Fratres Wetstenii nuper publice indicarunt se edituros, *Henrici CANISII* lectiones antiquas, quarum sex tomi cum singulari Volumine insignium Auctorum, tam Graecorum, quam Latinorum, quod ex variis MSS. & Bibliothecis accessitum in lucem prodire jussit Petrus STEWARTIUS, secundum seriem saeculorum digesti, & in unum corpus redacti, conficient IV. Volumina majoris formae. Accedent JACOBI BASNAGII praefationes historicae, animadversiones Criticae & in singulos autores notae. Conditions praecipue

Class. V. Fasc. II.

Bb

hujus

hujus operis hae sunt. Unum quodque Voluminum erit foliorum CL. sive DC. paginarum. Charta nitidissima. Intra unum & dimidium annum opus totum erit absolutum. Pretium subscribentium, subscribere autem licebit ad Kal. usque Novembris, erit 26. florenorum, quorum X. solventur ante praestitutum ad subscriptionem terminum elapsum. Post eum autem nullum exemplar vendetur minori pretio, quam 36. florenorum. Conditiones has aequissimas esse unusquisque aequus rerum arbi- ter facile confitebitur, agnoscetque beneficii loco habendum, quod opus rarissime obvium, quod ultra CC. florenorum pretium venditum fuisse novimus, in posterum tam aequo pretio comparare liceat.

IBIDEM prodiit hoc anno prospectus alius operis, quod imprimere constituit Joh. Frid. BERNARD Bibliopola Amstelædamensis, cujus hunc titulum habe. *Ceremonies & Coutumes de tous les peuples du monde représentées par des figures dessinées de la main de Bernard PICARD; &c. avec une explication historique & les Dissertations de plusieurs Savans, qui étoient devenues rares; IV. Volumi- nibus, ut vocant, in folio. Folia erant circiter CCCC. & DC. figurae. Charta notae optimae. Opus absolutum erit sub fine A. 1723. Qui subscribent, solvent pro exemplari minoris char- tae Florenos 50. majoris 65. Qui non subscribent, pro illis florenos 65. pro his 80. Mentionem hujus libri facio, quod magna pars operis desti- nata erit tractationi de ritibus & caerimoniis, cul-*

cultus divini causa institutis, de Talismanibus, Idolis, statuis, figuris Symbolicis, Hieroglyphicis, emblematicis, & quae alia huc pertinent.

MEDIOBURGI Selandorum superiori mense Julio ecclesiae hujus Minister & in Gymnasio Professor Joh. BIERMANN, qui olim Theologiam docuit in Gymnasio Academico Herbornensi, multorumque librorum utilium editione de literis sacris non parum meritus est, post aliquot annorum infirmitates desiit in terris vivere.

ATREBATI ad d. IV. Kal. Junias quatuor agrorum coloni, qui derelictis Romanae ecclesiae erroribus, Reformatae nomen dederant, exilio, omniumque bonorum confiscatione mulctati fuere. Unus eorum, quod pedibus suis, qui undeviginti mensium spatio compedibus ferreis constricti fuerant, nequiret uti, vebatur equo, cum reliqui, quatuordecim licitorum manu stipati, incederent pedibus. Hic indusio indutis, facemque gestantibus ignominiosa imposita est paenitentia (Galli vocant *amende honorable*) atque ita ad pontem usque Avendinum (*Pont Avendin*) traductis omni in has oras reditu interdictum est. Is, qui infidebatur equo, gestabat in pectore tabulam, cui majoribus literis haec erant inscripta. *Arnaud du Four, Nicolas du Moulin, &c. condamnés par arret du conseil d' Artois du 19. Maj. 1721. pour avoir embrassé la religion pretendue Reformée au bannissement perpetuel hors du Roiaume, & tous leurs biens confisques.* Duodecim aliis ejusdem loci incolis eandem ob causam publico decreto carceris

poena imposita est, & complures alios eadem infectos esse haeresi, publica fama fert. Auctor sum sodalitatis Ignatianae sociis, ne vel latum unguem remittant ab illa nuperae papalis bullae tam acriter contra Quesnellianos propugnata thesi, qua sequiori sexui, & laicis sacrae scripturae lectio prohibita fuit. Vel enim hoc exemplo edocentur, quid illa secum trahat malorum; & si illa concedatur, quam habeant vereri, ne haereticae pravitatis lues, vires eundo acquirens, latius indies, ac quidem optarent, serpere ac grassari pergat.

GRONINGAE celeberrimus Juris antecessor Petrus de TOULLIEU superiori anno habuit ediditque orationem de non solubili ob *malitiosam desertionem* matrimonio. In illa observat Christum, Dominum nostrum Matth. XIX: 9. nullam aliam concessisse dirimendi matrimonii causam, praeter *την της πορευτας*. Cum hac autem Christi lege videri pugnare verba Apostoli I Cor. VII: 15. quibus, si sententia Iudiciorum fere omnium & plerorumque Theologorum standum sit, altera divortii faciendi causa aperiatur, si nimirum vel uxorem maritus, vel hunc illa derelinquat, resque suas sibi habere jubeat. Cum Christo itaque ut conciliet Paulum ostendatque *malitiosam desertionem* quoque divortii dignam esse causam, novam sibi existimavit ineundam esse interpretationis Paulinorum verborum viam. Ponit itaque à Corinthiis hanc propositam esse quaestionem; *Num conjugi liceret conjugem dimittere*; Id licere  
ne.

negare Apostolum: Hoc autem hujus respon-  
sum jam videri satis praesensisse Corinthios;  
Illos itaque quaestionem aliam subjecisse; si  
divertere non licet, at saltem alicui licebit esse deserto;  
& sic soluto per crimen infidelis matrimonio, fas pro-  
cul dubio fore ad secunda vota adspirare; ejusque  
addidisse rationem. Duram alias fore ac gra-  
vem deserti ab infideli, Christiani conjugis conditio-  
nem, & nihil nisi **SERVITUTEM**. Ad haec respon-  
dere Apostolum; *ΕΙ ΔΕ Ο ΑΠΙΣΤΟΣ ΧΩΕΙΖΕΤΑΙ, ΧΩ-  
ΕΙΖΕΘΩ: ΟΥ ΔΕ ΔΕΛΩΤΑΙ Ο ΑΔΕΛΦΟΣ, Η Η ΑΔΕΛΦΗ ΕΝ  
ΠΙΣΤΙ ΠΙΣΤΙΣ.* Quibus verbis propositam a Co-  
rinthiis rationem, ut Christianis indignam reji-  
cere, quod status ille solitudinis, in quo per con-  
jugis desertionem constituitur desertus con-  
jux, ut ut fit acerbus, nullo tamen modo **SER-  
VITUTIS** nomine insignire debeat aut possit  
ab eo, qui verae religionis praeceptis sit imbu-  
tus. *ΕΝ ΔΕ ΕΙΡΗΝΗ ΚΕΚΛΗΚΕΝ ΗΜΑΣ Ο ΘΕΟΣ.* quorum  
verborum hunc vult esse sensum; Deum vo-  
casse Christianos ad mala aequo ac patienti  
animo sufferenda, sive ad patientiam & man-  
suetudinem (quo sensu pacem pro animo pa-  
cifico, patienti, & pacis studioso sumi vult  
Rom. XIV:17. Gal. V:22. Eph. IV:2,3,1,3,2.)  
adeoque etiam ejusmodi desertionem conju-  
gis patienti tolerandam esse animo, neque sta-  
tim animum ad novum matrimonium ineun-  
dum debere adjungi. Sed prorsus alia ince-  
sit via in explicando hoc Pauli loco, licet deser-  
tione malitiosa matrimonii vinculum disrum-  
pi posse juxta cum Collegâ suo neget, non mi-

nus splendidum ejusdem Academiae lumen Michael ROSSALLUS, in dissertatione, qua in eorundem verborum sensum inquisivit, quae ad d. 28. Junii hujus anni publico subjecta fuit examini. Hanc scilicet propositam esse à Corinthiis putat quaestionem; *Si non Credens, sive infidelis discedat a conjuge fidei, quid tum agendum Credenti? sive potius, si gentilis à fidei conjuge abalienatus, nisi fide Christi deserta in connubio permanere abnuat, sed Christiano necesse sit, aut fidem abnegare, aut a conjuge repudiari, quid tum fidei faciendum? Eritne in connubio permanendum fidem Christi abnuendo. Eritne contra connubio abeundum, fidem retinendo?* Ad haec respondere Paulum; *Quod si infidelis discedit, discedat. Impediri a fidei id non posse, quin a Gentili ex lege civili repudietur, multo autem magis necessarium esse fidem retinere, hic fidei non esse diu ambigendum, sed conjugis domo potius exeundum, quam fidem Domini abnuendum.* Non enim *ἰς τὴν πίστιν* ad talia SERVITUTI subjectos esse infidelibus conjugibus conjuges fideles, i. e. non debere in TALIBUS fratrem vel sororem e Christianis Gentili conjugi imperanti parere; TALIA enim, ut quis fidem abneget, ad conjugum subjectionem non spectare, ac ne quidem ad servorum servitutem, quoniam ubique id Apostolorum obtinet, *καθ' ἄρχην δεῖ Θεῷ μάλλον, ἢ ἀνθρώποις.* Addere Apostolum; *In pace, vel ad pacem, vocavit nos Deus.* Ubi per pacem non intelligenda sit illa, quae in conjugum sita est concordia, sed quae Christianis priva est,

pax Dei, quae ex Deo est, quam Christus suis dat, & moriturus reliquit *εἰρήνη τῆς χειρὸς ὑπερχεῖται πάντα ἡμῶν*, atque idcirco, sicut in fidelium potestate non est, impedire, quo minus infidelis conculcatis matrimonii officiis fratrem aut sororem destituat, sic illos sese potius conjugio viduari ferre debere, quam se in ejusmodi, quae impie imperantur, servituti subjectos putare, & ad Gentilitatem redire, ut infideli pareant; quia Christianus pacem illam, ad quam vocatus est, semper debeat ob oculos habere positam, & quae sequuntur.

STADAE Saxonum, mense Junio vir doctissimus, neque paucorum librorum editione clarissimus *Johannes Hermannus* ab ELSWICH, S. Th. Lic. & ad aedem S. Cosmae & Damiani Pastor Primarius fati functus est. De eo in sequentibus plura enarrandi forsitan locus erit. Interea munus supremi sacrorum Antistitis per Bremensem & Verdensen Ducatus, quem Generalem Superintendentem vocant, & in Consistorio Senatoris, quod V. V. Viri *Joh. Diekmanni* morte vacuum esse factum suo loco narravimus auspiciis Potentissimi Britanniae magnae Regis, Magnifico S. Q. R. Viro Lucae BACMEISTERO cessit, id quod felix, faustum, fortunatumque Deus esse jubeat!

BREMAE mulierem quandam a pertinacissimo quodam ac gravissimo morbo mirum in modum liberatam fuisse narravimus Cl. II. fasc. IV. pag. 759. Id eum in finem a nobis factum fuit, quo Prudentum virorum de insolitae ejus

fanationis & causis & rationibus sententias expiscaremur. Votique hujus factos nos esse compotes docebunt Cl. III. fasc. VI. diss. III. & quae Cl. IV. pag. 1093. annotata sunt. Nunc autem, ut quae ultima fabulae scena fuerit, cognoscas, indicandum tibi est, illam, posteaquam iisdem paene malis, quibus antea vexata fuit, denuo afflictata est, tandem dolorum impatientiae inductam, nocte, quae diem XIX. Maji antegressa est, e fenestra, qua in praeterlabentem Visurgim prospicitur, semet ipsam dedisse praecipitem, & sic iville *per iter tenebrososum Illuc, unde negant redire quemquam.* Hoc a me non negligi oportuit, ut videas, sententiam meam non parum accepisse roboris, quam vice plus simplici declaravi, non extraordinario cuidam miraculo, sed naturae operationi, licet rariori atque obscuriori, quidquid illi eum in modum, quem luculenter atque scite a Cl. Viro G. G. *Richtero* descriptum esse Cl. IV. p. 1093. notavi, contigit, adtribuendum esse. Adtendant haec illi, qui ea, quorum causas ignorant, actutum inter prodigia referunt, & caveant malesani sui cerebri phantasmata, somniaque, tanquam divinitus obiectas visiones venditare. Utinam temporibus pristinis ejuscemodi historiola ita discussae, atque laetioris sapientiae ponderatae fuissent. Quantillum fore putamus numerum miraculorum, quae sanctulis suis tenebriosa illa atque inficeta aetas affricuit?

Denique mihi, & nisi vehementer fallor, tibi quoque Lector *Φιλομυσε*, haud laetabilem afferre cogor nuntium, fratrem meum, cujus nomen toties in hac Bibliotheca intuitus es, **JACOBUM HASAEUM**, in ipso vernantis aetatis flore, agere enim inceperat annum vitae secundum supra tricesimum, volente ita summo vitae necisque arbitro, ad d. XVII. Junii, de vita hac eheu! migrasse. Triste sui desiderium, quod mihi, bonisque omnibus reliquit, mitigare conabor editione nonnullarum ejus lucubrationum, quas e Schedis ejus colligere licebit. Pars illarum, quae ad nostrum institutum pertinet, hujus fiet Bibliothecae pars. Reliquae singulari volumine, *εαν δ' Θεος θεληση*, coëreebuntur.

Joh. Christophori **J E H R I N G**,  
 Pastoris Bingumani in Frisia orientali,  
 Observatiuncula  
 de Etymo Osiridis & Baal-Peor.  
 §. 1.

**A**D Judæorum idololatriam in primis pertinet impius planctus ob Tammus, cujus mentio fit Ezech. VIII. v. 14. Quis Tammus ille fuerit, de eo solide non minus quam erudite differit Joh. BRAUNIUS, in *Selectis sacris Lib. IV* per aliquot capita, pag. 364. seqq., ubi inter alia præcipue Cap. III. demonstravit, Tammuseundem fuisse ac Osiridem Ægyptiorum idolum. Quid verò nomen Osiridis sibi velit, & unde originem traxerit? de eo varias affert doctissimorum virorum sententias, ostendendo alios illud explicare per  $\delta \sigma \epsilon \rho \alpha \iota \omicron \varsigma$  (Sirius ille) alios per  $\text{חור}$ , id est circuitor; alios verò ex  $\delta \sigma \iota \omicron \varsigma$  &  $\iota \epsilon \rho \omicron \varsigma$ , ac si ex *sancto* & *sacro* conflatum esset; alios denique per  $\text{שיחור}$ , quomodo Nilus dictus; & sic porro. His ultimo suam adjicit sententiam, deducendo vocem illam (Osiris) ab hebraico  $\text{שור}$ , bos, ut Osiris sit vox hebræa  $\text{השור}$  *Haschor*, quæ Syra dialecto, *Hoschor*, & permutatione o & i, alias non insolitâ, *Hosir*, seu *Osir* efferri posset, cui græca terminatio *is* addita sit. Liceat hic mihi meam quoque addere conjecturam. Quam aptissime ergo nomen *Osiris* à voce hebræa  $\text{עשיר}$  divitem significante, derivari posse firmi-

ter mihi persuadeo. Sic enim (1) nulla opus est artificiosa derivatione seu contorsione potius vocum, exprimitur namque nomen *Osiridis* voce illa quoad singulas literas, addita tantum terminatione græca. (2) Nomina, quæ ipsam rei naturam exprimunt, hic omnium sunt convenientissima, ut recte judicat Cl. Braunius l. c. §. XXXIII. pag. 386. Jam si supponatur, ut itidem laudatus modo Braunius l. c. cap. VII. per integrum probat, sub nomine *Osiridis* latere *Josephum illum Ægyptium, Jacobi Patriarchæ filium*: omnium convenientissime nomen *ישי* in *Josephum* quadrat, cum non sibi tantum sed *Pharaoni* etiam maximas concilia verit divitias, uti ex tota illius historia satis constat, vid. Gen. XLV: 13. XLVII: 20. (3) Per *Osiridem* intelligebant regem beneficum (ut *Josephus* erat, vid. Gen. XLV: 9.) Ejusmodi vero regi optime competit nomen divitis. (4) *Osiridi* adscribunt peritiam & curam rei agrariæ: per quam homines reddi possunt divites; unde & hoc respectu non sine ratione ei nomen divitis tribui poterit. Idem legimus *ferede Josepho* Gen. XLI: 46. seqq.

§. 2. Inter idola quoque, quibus *Judæos*, præsertim in deserto, se contaminasse legimus, *Moabitarum* erat numen, *Baal Peor* dictum, uti Num. XXV: 1, 2, 3. à *Mose* traditur memoriæ. Quale vero illud fuerit, de eo non convenit inter doctos, & si dicendum quod res, maxime incertum est. Ex etymologia vocis *פער* hujus idoli denominationis cultusque ratio-

tionem deducunt Rabbini; cum enim פער communiter significet *aperire, distendere, autumant, stercoris humani egestione sacra ei fuisse facta, distendebant enim*, inquit R. Salomon Jarchi apud Seldenum in tractatu de Diis Syris pag. 158. edit. Lugdun., *coram illo foramen podicis, & stercus offerebant, & hic erat cultus ejus.* Merito sententia hæc, ut figmentum Rabbinicum, rejecta est à Seldeno l. c. aliisque viris doctissimis. Quod si vero ex etymologia de hujus idoli cultu sit judicandum, sequens fortassis probabilior denominationis ratio proferri posset. Scilicet vox פער quoque significat, *retegere, denudare*, uti videre est apud Buxtorff. in Lexico Chald. Talmud. Rabbin. pag. 1780. Jam vero notissimum est, stylo Scripturæ S. rem veneream verbo *denudare*, & phrasi גלוה ערוה *revelare nuditatem* denotari. Hinc cum Num. l. c. narretur, stupris & nefandis libidinibus Israelitas cum Moabitibus se miscuisse, cum idolum Peor colerent: fortassis dicendum, Baal Peor nomen suum fuisse nactum à revelatione nuditatis, (a) seu re venerea; & hæc sacra ei fuisse facta; minimùm stupra cum cultu ejus conjuncta fuisse. Hoc

respe-

(a) Judæi scribunt eum a nudis cultum esse. Maimon. de Idol. C. III. §. 2. פער שעבודתו שיפער אדם עצמו לוי Peor, quem colebant, detegendo semet coram ipso: Idem in more Nevochim p. III. c. 45. docet manifesto cultum peoris illis temporibus postulasse, אשר היתה הפוער עצמו לבעל פער, ut fieret coram eo verendorum denudatio. Et in Sanhedrin cap. VII. hal. 6. de Baal phegore hæc habentur. וזו היא עבודתו. Si quis se detegat coram Baal-Peor, nam is illius cultus est. T. d. H.

